GRAMMATICÆ

IN

SULPICIUM SEVERUM

OBSERVATIONES

POTISSIMUM

AD VULGAREM LATINUM SERMONEM PERTINENTES

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENS

HENRICUS GŒLZER

Ancien élève de l'École normale supérieure



PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

—

1883





GRAMMATICÆ
IN
SULPICIUM SEVERUM
OBSERVATIONES

POTISSIMUM

AD VULGAREM LATINUM SERMONEM PERTINENTES

COULOMMIERS. — TYPOGRAPHIE PAUL BRODARD ET Cie

GRAMMATICÆ
IN
SULPICIUM SEVERUM
OBSERVATIONES

POTISSIMUM

AD VULGAREM LATINUM SERMONEM PERTINENTES

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

HENRICUS GŒLZER
Ancien élève de l'École normale supérieure



PARIS
LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie
79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1883

DILECTISSIMI PATRIS MEMORIÆ

D. D. D.

GRAMMATICÆ
IN
SULPICIUM SEVERUM
OBSERVATIONES

PRÆFATIO

Mirum sane videbitur nos ex Sulpicii Severi operibus quærere quid ad sermonem latinum vulgarem pertineat. Constat enim inter eos quibus illarum rerum judicium est. Sulpicium dictione uti tersa et eleganti, adeo ut ecclesiasticorum purissimus scriptor a Josepho Scaligero [1] vocetur, et, multorum judicio, non indignus laudibus videatur quibus a doctissimo viro C. Barthio [2] oneratus est : « Elegantia Romani sermonis vix quisquam Christianus auctor exstat præferendus Severo Sulpicio : ut eum legens videatur stantis Reipublicæ senatum aliquem de divinis rebus disserentem audire. » Nostrum igitur ante omnia erit, ut in hac disputatione levitatis crimen

1. Cf. J. Scaliger, *Emendat. temp.*, c. 5.
2. Cf. Caspar Barthium, *Adversar.*, lib. XII, c. 18.

diluamus, diligentissime perquirere quibus Sulpicius vixerit temporibus, qua studiorum ratione, quo scribendi genere usus sit.

I

Severus cognomine Sulpicius in Aquitania natus est [1], anno post Christum circiter trecentesimo sexagesimo tertio [2]. Quemadmodum autem illis temporibus liberalia studia Galliæ finibus se continuerant, ita in Aquitania tamquam in sede ac propria domo florere et vigere maxime videbantur. Quid mirum? cum ut nostra sic illa ætate omnia essent quæ regionem non aliam tota Gallia feliciorem efficerent. Eadem enim erat cæli temperies, eadem locorum amœnitas, eadem urbium amplitudo ac pulchritudo, eadem virorum humanitas. Hinc Oceanus, illinc Internum mare adjunctum, quod perpetuo tepore terras fovet; meridie Pyrenæi montes nivibus et glacie operti, qui æstus levant. Vasti sub montium radicibus campi procumbunt, speciosis amnibus irrigui, frumento frugumque ac fructuum omni genere læti; eminent quoque ac prætenduntur colles uberrimis consiti vitibus. Felicissimis igitur regionibus illis omnia gignentibus quæcumque ad vitam sunt necessaria et ad explendas cupiditates accommodata, undique cernuntur urbes cum ædificiorum magnificentia tum civium frequentia nobiles.

1. Cf. Gennad., *Virorum illustrium catal.*

2. Constat enim eum Paulino amico multo juniorem fuisse. Cf. Paulin., ep. 5, 4 : *Mihi ætas provectior*, et *ibid.* 5 : *tu ætate florentior*. Cum igitur Paulinum Nolanum anno CCCLIII natum esse demonstraverit Tillemontius, decem circiter post annos Severum fuisse natum conjici potest, neque aliud sane suadent Paulini verba ex laudata epistola scripta anno CCCXCV cum ipse annum quadragesimum tertium ageret. (Cf. Hieronym. de Prato in *Sulp. Sev. opp.*, dissert. I.)

Quid multa? In omnibus Aquitaniæ locis aliquid festivi ac jucundi ubique inest quod magis de voluptatibus quam de labore incolas admonet, ita ut idem habitus decor, eadem sit hominibus ingenii gratia ac suavitas [1].

Huc igitur artes ingenuæ confugerant inter elegantissimos viros et sane dignos qui humanitatis et litterarum studia foverent et amplecterentur a ceteris gentibus spreta exclusaque. Hic cotidie aperiebantur celeberrimæ scholæ, quo studiosa disciplinæ juventus confluebat; hic Burdigalenses ludi, in quibus informabantur magistri, qui totum Romanum imperium litteras edocerent. Burdigalenses enim fuerunt et Nazarius, qui meruit ut Romam mitteretur Constantino Magno ob victoriam de Maxentio relatam gratias acturus, et Minervius, qui Constantinopoli ac Romæ, et Attius Patera qui Romæ *gloriosissime docuit* [2], et omnium nobilissimus Ausonius in omni Latinæ ac Græcæ eruditionis genere apprime versatus, qui a Valentiniano ad docendos liberos Gratianum et Valentinianum accitus est.

1. Nota quid dixerit Plinius de Narbonensi provincia Aquitaniæ proxima : H. N. 3. § 31. *Narbonensis provincia... agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum postferenda, breviterque Italia verius quam provincia.* Neque aliter de Aquitania sentit Salvianus, *Gub. Dei*, VII, p. 132 (Baluze) : *Nemini dubium est Aquitanos ac Novempopulos medullam fere omnium Galliarum et uber totius fecunditatis habuisse nec solum fecunditatis sed quæ præponi interdum fecunditati solent, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. Adeo illic omnis admodum regio aut intertexta vineis aut florulenta pratis aut distincta culturis aut consita pomis aut amœnata lucis aut irrigua fontibus aut interfusa fluminibus aut crinita messibus fuit, ut vere possessores ac domini terræ illius non tam soli istius portionem quam paradisi imaginem possedisse videantur.*

2. Cf. Hier., *Chron. an. Chr.* 337 : *Patera rhetor Romæ gloriosissime docet.* Cf. Hier., *Chron. an. Chr.* 360. *Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent.* Tantum igitur in Aquitania vigebant studia ut rem diligenter Chronicis mandare Hieronymus non dubitaret.

Nec profecto ego hoc jam dicere audeo viros politissima doctrina instructos id adeptos esse atque consecutos ut auream latinarum litterarum ætatem in Aquitaniam reducerent. Neque enim Nazarius Tullianam dignitatem, neque Ausonius Vergilii sublimitatem consequi poterat. Quid? quod neque acuti erant rebus reperiendis, neque facilitatis aut æquabilitatis in dicendo studiosi, sed quo magis sententiarum inopes, eo effusioribus ornamentis magnifici : unde *Gallicanus cothurnus* in proverbii consuetudinem venerat [1]. Injuriosum vero sit re neque consulta neque explorata de eis judicare. Proponamus enim animo quales in Africa seculo ante litteræ exstiterint : quantus sententiarum verborumque tumor! quam incultum horridumque dicendi genus! tum venustissimi omnium habebuntur, immo politissimi Gallici scriptores ; nihil in eis insolens aut ineptum erit ; ornate vero et graviter et copiose videbuntur dicere.

Scriptorum igitur gallicorum laus ad summum venerat, cum Sulpicius noster per ætatem potuit liberalibus studiis instrui. Quantum autem in eis profecerit, Paulinus Nolanus testatur [2], atque ex scriptoris ipsius operibus videre licet. Severum enim, quamvis ei animus fuisset ad judicia se conferre et jam omnia prospere evenissent cum causas in foro summa cum laude ingenii et eloquentiæ actitasset, consilii e vestigio pœnituit. Itaque, mortua conjuge, in solitudinem ultro se abjecit, ubi et animus ex humano strepitu reficeretur et aures forensi convicio defessæ conquiescerent. Neque eum revocare immensæ divitiæ

1. Cf. Hier., *Ep.* 58, col. 326. *Vallars.*
2. Cf. Paulin. Nol. ep. 5, 5 *tu.... es ætate florentior, laudibus abundantior, in... fori celebritate diversans et facundi nominis palmam tenens.*

potuerunt. Sed sanctorum virorum Martini Turonensis episcopi et Paulini Nolani amicitia contentus totum se ita Christianæ fidei dedidit, ut omnes ingenii vires, omnem scribendi exercitationem ad Christi ejusque ministrorum laudes converteret [1]. Hinc illi qui ad ætatem nostram pervenerunt *de Vita S. Martini episcopi* et *Chronicorum* libri [2]. At non in eo omnia perierant quæ amaverat : recesserat quidem a foro, sed non disciplinas omnes quibus erat excultus, rejecerat. Tenet enim ita diligenter scribendi consuetudinem quam a magistris accepit, ut ex scriptis quam facillime dignoscatur quæ studiorum ratio illis temporibus fuerit.

Ac primum vide quantum litteras curet, qui numquam non infantiam suam excusandam censeat [3], in enarrandis rebus a Martino gestis nonnulla omittat quæ fastidium moveant [4], nihil nisi de re varianda laboret [5]. In Chronicis vero quam dilucidissime cernitur quantum bene loquendi laudem secutus sit. Nec tenue opus erat

1. Paulin. Nol. ep. 5, 5 : repentino impetu discussisti servile peccati jugum. Neque te divitiæ de matrimonio familiæ consularis aggestæ neque post conjugium peccandi licentia et cælebs juventas ab angusto salutis introitu... revocare potuerunt... *ib.* 6 : tu ergo... relicto patre... Christum secutus es... piscatorum prædicationes tullianis omnibus tuis litteris prætulisti. Confugisti ad pietatis silentium.

2. « Prius autem opus tribus libris compositum est : quorum primus est qui proprie *de vita S. Martini* incriptus est. Hunc secutæ sunt tres epistolæ ita digestæ ut aut appendix vitæ aut proœmium dialogorum esse videantur. His accessit dialogorum liber, qui in vulgatis exemplis tres numerantur. Sed eum non constitisse nisi duobus dialogis, cum ex codd. mss. melioribus, in quibus inter dialogum primum et secundum editionum vulgatarum nullum spatium intercedit, apparet, tum ab Hieronymo de Prato in quinta dissertatione (vol. I, p. 266 sqq.) luculenter demonstratum est. » (Halm. *Sulpicii Severi libri qui supersunt*, præf., p. VII, sq.)

3. Cf. *Vit. S. Mart.*, præf. 1, 2 et 3. Cf. et *Epist.*, 3, 3.

4. Cf. *V. Mart.*, 19, 5.

5. Cf. *Dial.*, III. 5.

« res a mundi exordio sacris litteris editas breviter constringere et cum distinctione temporum usque ad Stiliconis consulatum carptim dicere », et ita dicere ut « docerentur imperiti et litterati convincerentur [1] ». Nihil quidem erat imperitos docere, quippe qui nec sententiarum concinnitatem nec verborum cultum aucuparentur, modo adducerentur ad credendum : sed quam arduum litteratos convincere, cum religio nova neque barbare loqui neque solœcismos facere dubitaret ! Quid ? quod Augustinus, dum sacra volumina evolvebat, Tullianam desiderabat dignitatem [2], et Hieronymo ipsi prophetarum *sermo horrebat incultus* [3].

Veniat igitur in mentem quam grave quam molestum fuerit viris nihil præter sermonis elegantiam curantibus audire nova hæc verborum portenta : *Cherubim*, *Seraphim*, *Sabaoth*, *Throni*, *Dominationes*, etc. Quid Ausonius, quid ceteri Burdigalenses magistri censebant Tullio atque grammaticæ addicti et obsequentissimi? Nihil itaque mirum si Aquitani in Priscillianistarum manus inciderunt, quorum dux Priscillianus « facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus [4] », omnibus artibus instructus erat quibus provinciæ humanitatem devinciret ac deciperet.

Quarum rerum sciens ac prudens Severus ita libellos suos digessit ut non solum christiane de chistiana fide sed etiam litterate apud litteratos scriberet. Hinc exquisitus verborum delectus quibus res christianas exprimit [5],

1. Cf. *Chron.*, I. præf.. 1-4.
2. Cf. Aug., *Confess.*, III, 5.
3. Cf. Hier.. ep. 22, col. 115, *Vall.*
4. Sulp. Sev.. II, 46-3.
5. Exempla nonnulla hic mihi subjicere liceat : *impietas* (= irreligio)

hinc latini sermonis in narrando elegantia. Eam vero palmam Crispi Sallustii subtili, ut mihi videtur, imitatione consecutus est, in quo cum plurima videret quæ sub imitationem vix caderent, abruptum dicendi genus, quod lectoris diligentiam eludit, sive, ut ait Seneca, « amputatas sententias et verba ante exspectatum cadentia », eas virtutes tam prudens fuit ut Sallustio integras relinqueret. A verbis quoque meram antiquitatem redolentibus plerumque se abstinuit. At concinnam illam brevitatem lectissimis ac significantibus verbis temperatam tanta arte expressit ut Giselinus qui Severi Chronica edidit [1], dicere potuerit non imitatum eum sed æmulatum [2].

M. 13. 9, *perfidia* = mala in Deum fides vel *apostasia*, *Chron.* I, 25, 6; II, 37, 6; 38, 2; 40. 5; 41, 6; 41, 7; 45, 2; 45, 5; 45. 7; 46, 7; 48, 2; V. *Mart.*, 6, 4; = *idololatria*, *Chron.*, I, 27,1. *Rursum Israelitæ ad idola conversi, et per XL captivitatis annos pœnas perfidiæ pependerunt.* I, 42, 2 *deletis aris lucisque idolorum vestigia paternæ perfidiæ sustulit*; *piacula* vel *piacula hæresis* pro *hæresis* : II, 39, 4 *non ausi piacula profiteri.* Cf. II 40, 1 *palam ac publice hæresis piacula prædicabant.* Cf. 26, *ib.* 3; *popularis* = λαϊκός, *Dial.*, I, 26, 3 *nec tamen huic crimini miscebo populares : soli illum clerici, soli nesciunt sacerdotes*; *sacerdos* pro *episcopus*. *Chron.*, II, 31, 4; 33, 4; 46, 8; 47, 4; *Dial.*, I, 6, 1; II, 12, 2; III, 13, 2, *sacrilegium* pro *idololatria*, *Chron.*, I, 19, 6; 43, 6 et 9; I, 50, 1; 52, 2; 53, 2; etc., etc.

1. Antuerpiæ, 1574. — C. Barthius (advers. XLIX, c. 4) Severum *Christianum Sallustium* vocat.

2. De Sallustii imitatoribus vide Fridericum Vogel (*Acta Semin. Philol.*, Erlang., vol. I, p. 316 sq; et potissimum H. Pratje (*Quæst. Sallust. ad L. Septimium et Sulpicium Severum Sallustii imitatores spectantes*., Gotting., 1874), qui disjecta Sallustii membra magno ne dicam nimio studio conquisivit. Multos enim locos ex illo scriptore manasse suspicatur, ubi judex æquissimus verba Septimii ac Severi propria esse non habet cur neget. Sed hoc utut est, illud dubium esse non poterit, quin e Sallustii libris multa erogaverit Sulpicius : hæc afferre satis erit :

Sulp. Sev. Chron., I, præf. 6 nunc initium narrandi faciam.	Cf. Sall. Cat. 4.
Ib., I, 23, 5, tanto hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit.	« Jug., 32 tanta vis avaritiæ in animos eorum veluti tabes invaserat.
« *Ib. ib.*, 7 sed longius quam volui egressus sum, dum me tempo-	« Jug., 4 verum ego liberius altiusque processi dum me civitatis

Neque enim is est Sulpicius qui mutila quædam et hiantia loquatur, qui lingua hæsitet ubi a nullo, quid dicendum sit, admonetur. Universum igitur Sallustianum colorem imitatus est, non Sallustii formulas sæpius atque ineptius sibi assumpsit. Neque aliter cum Tacito egit, quem dum sequitur, non committit ut eodem quo ille modo orationem ducat, secet, circumscribat, colliget ac denique a re una ad aliam transeat; cavet ne atrox dicendi genus neve acribus imaginibus quasi coloratum sermonem retineat. Ea tantum assumere quæ non tam splendida sunt ut vicina obscurare possint [1], eam tantum artem consequi

rum nostrorum piget tædetque : ad inceptum redeo.	morum piget tædetque : nunc ac inceptum redeo.
« *Ib.*, II, 49, 5 Ithacius statuit licet rebus dubiis novi imperatoris adventum exspectare : interim sibi nihil agitandum.	« Jug., 39 extr. ex copia rerum statuit sibi nihil agitandum. Interim Romæ...
« *Ib.*, II, 50, 2 Ithacium nihil pensi, nihil sancti habere.	« Jug. 41.
« *Ib.*, II, 51. 9 et nunc. cum maxime discordiis episcoporum omnia turbari ac misceri cernerentur.	« Cat. 2 mutari ac misceri omnia cerneres.
« *Ib.*, II, 51, 10 inter hæc plebs Dei et optimus unusquisque probro atque ludibrio habebatur.	« Jug. 34 populus ludibrio habitus... Catil. 12 paupertas probro haberi...
Cf. etiam, *Chron.*, I, præf., 1. Res a mundi exordio sacris litteris editas... *carptim* dicere aggressus sum... multis id a me et studiose efflagitantibus qui divina compendiosa lectione cognoscere *properabant*.	Sallust., Cat., 4 extr. « Cat. 7 conspici properabant.

Neque dubium est quin plura etiam e Sallustii hauserit historiis quæ non ad ætatem nostram pervenerunt, sed constat eas illis temporibus fuisse lectitatas (Cf. Auson., *Idyll.*, 4, 62).

1. Cf. *Sulp. Sev. Chron.*, II, 28, 2 post etiam Pythagoræ cuidam, *in modum sollemnium conjugiorum* denuberet: *inditumque imperatori flammeum, dos et genialis torus et* Tac., *An.*, XV, 37, uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagoræ fuit) *in modum sollemnium conjugiorum* denupsisset. *Inditum imperatori flammeum*, missi

tentat qua divinus ille virtutis fautor gravissimas orationi acerrimasque sententias intexit [1].

Unum hoc luculentissimum afferam exemplum : de prima Christianorum persecutione agitur :

Sulp. Sev. Chron. II, 29, 1-3. Sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat, credebaturque imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse. Neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones : quin et novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, multi crucibus affixi aut flamma usti, plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.

Tac., *Ann.*, XV, c. 40, videbaturque Nero condendæ urbis novæ.... gloriam quærere.

Id., *ib.*, c. 44. Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abdendo rumori Nero subdidit reos et quæsitissimis pœnis affecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat... Et pereuntibus addita ludibria ut ferarum tergio contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammandi atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.

Videamus igitur quid servaverit, quid expunxerit : ac primum *credebatur* non *videbatur* posuit, quia *videri*

faces nuptiales, *cuncta denique*, quæ vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, *spectata*..

auspices, *dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique spectata* quæ etiam in femina nox operit.

Cf. *Ib.*, II, 46, 1 tum primum infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa, *superstitio exitiabilis*, arcanis occultata secretis. *Origo istius mali* Oriens ac Ægyptus.

Tac., *Ann.*, XV, 44, repressaque in præsens *exitiabilis superstitio* rursum erumpebat, non modo per Judæam, *originem ejus* mali, sed per urbem etiam.

1. Cf. *Sulp. Sev. Chron.*, II, 28, 3 Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est : quippe semper inimica virtutibus vitia sunt et optimi quique ab improbis quasi *exprobrantes aspiciuntur*.

Tac., *Ann.*, XIV, 60, malorum facinorum ministri quasi *exprobrantes aspiciuntur*.

non, ut solet, idem quod δοκεῖν sed φαίνεσθαι Severi temporibus valebat[1]; mox *innovandæ urbis*, non *condendæ* ne verba a ceteris secreta *condere alteram urbem in altero solo* significarent; deinde, brevitatis causa, *nulla re* pro *non ope humana*, etc.; denique *ab eo jussum incendium* non *jussum incendium*, quæ verba nimis prægnantia Severo videbantur. De ceteris autem quid dicam? cum Sulpicius, ne verba iteraret, *putaretur* pro *crederetur* posuerit, et sustulerit, ut decuit, quicquid de Christianis male dictum est; reliqua vero ita digesserit, ut strueret nulla verba quæ non ad suam consuetudinem accommodata esse viderentur : sic *pereuntibus addita ludibria*, sic *flammandi* Tacito relicta; sic *multi*, sic *in id reservati* addita, quæ verba compositam atque ordinatam sententiam conficerent[2].

Quo fit ut apud Sulpicium nihil asperum, nihil hiulcum sit, uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluat, sibi perpetuo similis; hinc sermo dilucidus, mollis, jucundus et

1. Cf. præter innumera Severi ipsius exempla Paulin. Nol., ep. 28 p. 174. Mur. *etiam in tempore veteri quo videbar legere neglegenda...*: Hier., v. Paul, 8 : *cadaver... Antiochiam. ut ab imperatore videretur, allatum est.* c. Joan. 26 : *truncus, rami, poma, folia, non videntur in semine, sunt tamen in ratione seminis. quem græci* σπερματικὸν λόγον *vocant.* in Ezech. XI ad 40, sqq. : *videtur ædificatio civitatis et auditur ordo cærimoniarum.* Cf. *Id.*, ep. 22, 5. et 117, 7. in Zacch, II ad 9, 11 sq. etc.

2. Quæ cum ita sint, non mirum est si criticus omnium elegantissimus Jacobus Bernaysius in luculentissima disputatione cui titulus inscribitur *Ueber die Chronik des Sulpicius Severus* (Berlin, W. Hertz, 1861) existimavit quasdam Taciti operis partes, quæ perierunt, a Sulpicio servatas esse. Vide enim qua ratione Hierosolymæ excidium narraverit Sulp. Sev. *Chron.*, II, 30, 6 : « *Fertur Titus adhibito consilio prius deliberasse an templum tanti operis everteret. Etenim nonnullis videbatur ædem sacratam ultra omnia mortalia illustrem non debere deleri, quæ servata modestiæ Romanæ testimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet. At contra alii et Titus ipse evertendum templum imprimis censebant, quo plenius Judæorum et Christianorum religio tolleretur.* » (Cf. J. Bernays. *op. cit.* p. 63.)

ita elaboratus ut illaboratus esse videatur [1]. In dictione enim laus Sulpicii omnis posita est : non tamen ipsi libri contemnendi, modo recte perspicias quid in iis auctor assequi voluerit. In *Chronicis* igitur scribendis hoc sibi proposuit ut satis accuratum et imprimis gratum opus conficeret, non historiam conderet ad omnes scientiæ leges compositam. Quæ res cum ei feliciter cesserit, nescio quo fato nullus post Gregorium Turonensem scriptor *Chronicorum* mentionem faciat, libelli autem illi uno tantum seculi undecimi codice manuscripto exarati ad nostram ætatem pervenerint.

In iis vero opusculis quæ *de Vita Martini* composuit effigiem quandam monachorum vitæ expressit aptissimam sane ad delectationem, quamvis plurima adhibuerit incredibilia, et Martinum non modo episcopum maxime pium sed interdum fanatico errore raptum induxerit. Atque haud scio an ipse se nimium in enarrandis iis rebus fuisse senserit, qui, cum in eo libro qui proprie

1. Nec minus prospere Sulpicio in Vellei Paterculi imitatione evenit, quem potissimum in transitionibus sequitur :

Sulp. Sev. Chron., I, 20, 1 : nos cum suscepti operis modum custodientes, solam historiam persequimur.	Vell., II, 66, 3 : cogit enim excedere propositi formam operis.
« I, 45, 3 : quæ omnia notiora sunt quam ut stilo egeant.	« II, 43, 3 : quo notiora sunt minus egent stilo.
« II, 26, 5 : Victor omnium gentium quas adierat (Pompeius).	« II, 40, 2 : Victor omnium quas adierat gentium (Pompeius). Cf. 107, 3. Victor omnium gentium locorumque quos adierat (Cæsar).
« II, 32, 6 : quas (*martyrum passiones*) connectendas non putavi, ne modum operis excederem.	« II, 52, 2 : non recipit enarranda hic scripturæ modus. — Cf. I, 16, 1 : cum hæc particula operis velut formam propositi excesserit...

Ex his igitur dilucide apparet Velleium, quamvis a nullo ante Priscianum ejus mentio facta sit, in scholis Severi temporibus fuisse lectitatum.

de Vita S. Martini inscriptus est omnia ipse retulerit quæcumque non vero majora sunt, in dialogis unum ex amicis Gallum de sancto episcopo loquentem induxerit, ut omnem culpam, si qua est, in eum derivaret. Non ea vero erant quæ Sulpicii æquales offenderent : gloriatur enim ipse librum suum studiose legi [1], et in totum fere orbem terrarum penetrasse [2]. Atque tanto cognoscendæ Martini vitæ studio captos esse medii ævi homines videmus, ut vix ulla amplior bibliotheca exstet in qua non exempla horum opusculorum inveniantur. Eadem vero quæ in *Chronicis* sermonis inest elegantia, eadem concinnitas, immo non deest quædam verborum festivitas. Non patet quidem veterum imitatio, sed Homerus testis in Christiana materia semel adhibetur [3].

II

Tantum igitur abest ut quid valeat Severus dissimulem, ut contra certis argumentis comprobaverim. Sed nihil eum umquam in dicendo peccasse quis credat? Nonne enim extremis latinæ linguæ temporibus vixit quibus litterati ad veterum imitationem adducti resolutas ac fractas ingenii vires neque intendere neque reficere poterant? De ceterorum sane turba Sulpicius, ut videtur, seponendus est sed non ita eximendus, ut numquam temporum vitio contaminatum eum esse censeas. Atque vitii quidem aliquid jam in verbo *videri* adhibendo supra

1. Cf. *Sulp. Sev.* Ep. 1, 1.
2. Cf. *Sulp. Sev. Dial.*, 1, 20, 3 et III. 17, 4 sqq.
3. Cf. *Sulp. Sev. Vit. Mart.*, 26, 3 : Non si ipse, ut aiunt, ab inferis Homerus emergeret.

deprehendimus. Quam multa vero offendant si singula perscruteris et de ea re tibi proponas quæstionem. Neque aliud in nostro opere disputare sed ea potissimum lege instituimus, ut omnia quæ contra vulgatas grammaticorum regulas ab eo posita sunt, ea e sermone vulgari hausta esse ostenderemus : quo vocabulo *vulgari* comprehendimus omnes sermonis gradus inde a familiari usque ad rusticum. Multa quidem jamdudum de eadem vulgari Latinorum lingua, nec frustra, a doctissimis viris quæsita sunt [1], multa quoque reperta quæ ad Romanicas linguas altius perspiciendas redundarent. Sed animadvertendum est nihil fere ultra verborum conquisitionem prius esse tentatum; vix ac ne vix quidem de ea grammaticæ parte quam syntaxin vocant tractatum. Hinc omnia illa e vulgari Latinorum sermone effossa vocabula quæ, ut herbas a semine renasci, sic in recentiorum linguis miramur reviviscere. Mox vero, cum cuncta jam collecta essent atque ita coacta ut ne unum quidem novum vocabulum præterea afferre possent, ad ea studia se convertere viri docti maluerunt quæ spectant ad syntaxin. Neque, ut opinor, quicquam in grammatica majoris est momenti. Quid enim scire refert hunc atque illum semel aut bis vulgari quodam vocabulo usum esse? Sed qua lege et casus et præpositiones et modos adhibuerit, quo ordine verba collocaverit, quæ fuerit ratio in secandis vel colligandis sententiis, hoc plurimum interest : in hoc politi vulgarisque sermonis distinctio posita est.

1. Non operis est nostri omnia enumerare quæ de ea re conscripta sunt : hæc vir mihi amicissimus Uri commemoravit in ea disputatione quæ mox juris publici fiet : *Quatenus apud Sallustium sermonis latini vulgaris aut cotidiani vestigia appareant*.

Eandem igitur viam ingressi *syntacticum* Severi usum ante omnia curavimus. Attamen, ne quid in nostra disputatione desideraretur, non nobis visum est absonum omnia adhibere vocabula quæcumque a polito ac sollemni recedunt sermone. Non ea vero dico quæ tamquam in transitu ac necessitate compulsus noster affert. Neque enim is est familiari addictus sermoni qui unum aut alterum familiare verbum orationi intexuerit, aut Bossuetius noster, ut exemplo utar luculentissimo, scriptorum est omnium humillimus, quippe qui humillima sæpius verba arripere non dubitet, neque nullus scriptor in eandem potest cadere reprehensionem, qui verba nonnumquam, ut res communes significet, e medio petere ac sumere cogitur. Ea demum vulgaria numerantur in quibus scriptor acquiescere solet potius quam in iis quæ idem significantia in polita oratione inveniuntur.

Jam vero si quis quærat quam rationem secuti in universum vulgarem sermonem referenda censeamus ea, quæ ab optimorum scriptorum usu recedunt, id duobus argumentis comprobari posse judicamus. Primum enim cum ætate scripserit Sulpicius qua litterarum studium, non litteræ ipsæ supererant, id documento esse reor eos, qui latina lingua aliquid persequerentur, ad plebis sermonem descendisse nonnumquam. Nulla enim res tantum ad bene dicendum proficit quantum litteræ dum florent vigentque : quippe inest in iis quædam vis optimarum locutionum conservatrix vitiorumque omnium expultrix quæ in alia atque alia semper conantur erumpere ; delectum quidem verbis adhibent quæ plebs novarum rerum diligens et studiosa obstinate fingit ac profert : ubi vero litteræ defecerunt, effrenata ruit mutandi omnia atque

novandi audacia. Non jam placent antiqua, nova constituuntur, requiruntur insolentiora.

Alterum autem est argumentum quod vitiorum major pars quæ in Severi operibus deprehenduntur aut iis scriptoribus quoque peculiaria sunt quos plebeiorum hominum sermone usos esse constat [1], aut in Romanicis linguis servata sunt et pro virtutibus accepta. Quam rationem tenentes periculum nullum est ne in errorem delabamur et vulgaria esse existimemus quæcumque aut nova aut inaudita. Adde quod, cum Gallus sit Sulpicius, vehementer interest anquirere num certa apud eum vestigia appareant futuri Francogallorum eloquii. Ac revera plura invenimus. Quemadmodum igitur eximia in scribendo festivitas et decens, dum de se ipse loquitur, ac venusta suavitas, sic et phrasis Gallicum ingenium declarant.

Hanc vero nostri operis rationem instituimus : præmissis paucis, ut supra diximus, vocabulis novis vel insolentioribus, ostendimus in immutanda sollemnium verborum significatione semper vividum quoddam ac dilucidum requiri, quod proprium quoque linguarum est Romanicarum. Perpauca autem de nominum declinatione ac verborum conjugatione memoratu fuerunt digna. Sed in syntaxi quam multa! casus immutati, nunc per præpositiones redditi; modi quoque ita incerti et inconstantes ut hic indicativus, illic subjunctivus præferatur : infini-

1. Inter eos scriptores quos cotidiano sermone usos esse constat potissimum numerantur *comici* (Plautus et Terentius), *scriptores rei rusticæ* (Cato, Varro, Columella, Palladius), *M. Tullius* in prioribus orationibus et epistolis et dialogis, *auctores Belli Africani* et *Belli Hispaniensis*, *Vitruvius*, *Seneca rhetor*, *Petronius*, *Apuleius*, *scriptores historiæ Augustæ*, denique *Ecclesiastici auctores*.

tivus vero nunc latissime velut in linguis Romanicis pateat, nunc plurima deperdat, magis atque magis invalescente *quod* conjunctionem pro accusativo ponendi consuetudine. Denique in elocutione dijudicanda, quam nova, quam inaudita! abundant nomina et potissimum pronomina, abundant particulæ non quo quicquam efficere voluerit scriptor, sed quod jam placet ista redundantia. Nec jam inter se sententiæ junguntur, sed dissolute, demptis conjunctionibus, dicuntur fere omnia. Ex his igitur omnibus colligi potest non temere a nobis de latino sermone vulgari apud Sulpicium susceptam esse disputationem.

Nunc restat , priusquam transeam ad singula , ut proponam eos libros quibus usus sum. Ac primum mihi ad hæc studia capessenda quasi facem prætulerunt acutissimi et doctissimi viri Reblingius (*Versuch einer Charakteristik der lateinischen Umgangssprache* Program. Kiel, 1873) et E. Wölfflinius (*Das Vulgärlatein.* Philologus, XXXIV, p. 137, sqq.). Præter gravissimos illos adjutores laudandi sunt et H. Hellmuth (*De sermonis proprietatibus quæ in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur.* Act. Semin. Philologici Erlangensis, vol. I, p. 101, sqq.) et Albr. Koehler (*De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate.* Act., etc., p. 367, sqq.). Adde libros in his disputationibus maxime necessarios : Diez, *Grammatik der romanischen Sprachen*, edit. tert.; Rœnsch., *Itala und Vulgata* edict. sec., et Draeger., *Historische Syntax der lat. Sprache.*

Sulpicii opera semper ex recensione C. Halmii citantur (*Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum* editum consilio et impensis Academiæ litterarum Cæsareæ Vin-

dobonensis, vol. I). His vero siglis usus sum : D = Dialogi, E = Epistolæ, M = vita Martini; loci, quibus nulla littera præfixa est, sunt ex Chronicis. Appendicem vero septem epistolarum omnino neglexiinus : etenim epistolæ illæ nullo modo ad Severum referri possunt; recipiendas tamen ob eam solam causam existimavit C. Halmius ne quid quod in superioribus exstaret editionibus in nova desideraretur.

PARS PRIMA

DE VERBORUM COPIA

CAPUT I

DE NOMINIBUS VERBISQUE NOVIS VEL INSOLENTIORIBUS

Non ab re mihi visum est omnia vocabula colligere, quæ dum usurpat, Sulpicius Severus elegantiam illam sui sermonis ac nitorem deformat interdum et obscurat. Quæ quam rara sint ex ipsa enumeratione apparebit : neque enim est cur nos offendat si quæ voces novæ occurrerint, quas nova religio fingere ac Sulpicius, christianæ fidei antistes, adhibere debuit. Aliæ vero vocabulorum insolentiorum formæ qua ratione apud eum exstent nostrum erit perquirere.

§ 1. — De nominibus substantivis.

Cum notum sit quantum sibi indulserint sequioris ævi scriptores in informandis substantivis vel-*io*, vel -*tas*, vel-*tor* finitis [1], mirum sane est ne unam quidem

1. Cf. C. Paucker, *De latinitate beati Hieronymi*, p. 24, p. 29, sqq., p. 35, sqq.

novam in-*io* vocem apud Sulpicium nostrum inveniri, unam autem in-*tas*, unam in-*tor* exstare ; quarum una

NATIVITAS. II. 25. 5 usque ad Christi nativitatem. II. 27. 4 post nativitatem Domini., etc., etc.

sæpissime ab aliis Ecclesiasticis scriptoribus usurpatur ; altera vero

ABACTOR. I. 18. 6 si viva penes abactorem pecora reperientur....

sermoni vulgari, ut videtur, peculiaris est :

Cf. Isid. Orig. X. 14 abactor est fur jumentorum et pecorum. Paul. Sent., 5. 18. §. 1 abactores sunt qui unum equum, duas equas, totidemque boves, capras decem aut porcos quinque abegerint.

Etenim neminem fugit haud pauca vulgaris sermonis vocabula a Jurisconsultis esse servata.

Quod ad nomina attinet in-*mentum* expressa, quæ constat in vulgari sermone omnino viguisse [1], vix unum aut alterum in Sulpicii scriptis reperire est :

DELIRAMENTUM. D. III. 15. 4 : inter deliramenta. — Cf. Plaut., — Ambros., ep. 82. — Vulg.
JURAMENTUM. I. 8. 2 : pulsus apud puteum juramenti consedit. — Dig., — Amm., — Hier.. Vulg.

Quid verba in-*culum* inclinata proferam ? quæ, cum maximam partem certissime cotidiano sermoni sint assignanda [2], fere nusquam apud nostrum comparent, exceptis his duobus :

1. Cf. indiculum ab Hermanno Roensch digestum. *Ital.*. p. 22, sqq.
2. Cf. *Ibid.*, p. 37.

Habitaculum. D. III. 10. 3 : contiguum flumini... habebamus habitaculum.

D. III. 14. 9. Quis, inquit,... nostrum incestat habitaculum?

Terriculum. II. 44. 1 quia minis et terriculis non cesserant,

Quæ vox, cum T. Livio nonnumquam placuerit, apud vetustissimos scriptores legebatur, teste Accio (ap. Non. 227). Neque enim insolenter evenit, si quod apud antiquos occurrit vocabulum quod omnino plebeium est. Non me sane fallit Ennium Acciumque poetas pro virili parte enisos esse ut vulgaris politique sermonis discrimen facerent, primosque docuisse aliter plebeis aliter litteratis hominibus esse dicendum. Notum est in primis quam multa prave ac turpiter in sermone constituta represserit ac reciderit Ennius, sed non ita ut statim atque uno eodemque tempore omnia purgaret; inculta plurima horridaque mansisse testantur omnium opera ante Cæsarem Ciceronemque edita. Cum vero istiusmodi formas rursus apud eos scriptores deprehendamus quos vulgari sermone usos esse compertum habemus, nemini dubium esse potest quin inter plebeias voces sint jure ac merito numerandæ.

Neque minus illud valet de nominibus *tudo* finitis quæ plurimum a priscis scriptoribus dilecta rursus e recentiorum operibus emergunt. Cogita enim quantum in dilectis fuerint eæ voces divo Hieronymo (ut egregium illum scriptorem tantum laudem), apud quem inveniuntur *pœnitudo*, *sanctitudo*, *plenitudo*, *teneritudo*, *vicissitudo*, *gracitudo* et multa alia verba quæ enumerare longum est. Ad testimonium vocare libet Severum nostrum qui hæc vocabula recoluit :

Albitudo. I. 16, 5 quarum (siliquarum) species in modum coriandri seminis glaciali albitudine erat. (Cf. Plaut. Trin. 4. 2. 32. Non 2. 33.)

Habitudo. E. 2. 3 in ea habitudine corporis. (Cf. Ter., auct. ad Her., Apul.)

Inquietudo M. 10. 3 cum inquietudinem se frequentantium ferre non posset. Cf. Solin., Cæl. Aurel., et ecclesiasticos.

Mæstitudo. E. 2. 2 : deinde cum fatigata animi angore in lectulo membra posuissem, ut plerumque ex mæstitudine solet, somnus obrepsit. (Cf. Acc. tr. 616. Plaut., Cæl. Aurel.)

Partitudo. I. 9. 3. desperata jam partitudine. (Cf. *Plaut. Aul.* 1. 1. 36; 2. 3. 9. *Cod. Theod.* 9. 42. 10. *Jul. Val.* 1. 6.)

Accedit ad illa vocabulum *unguedo* :

M. 19. 4 salubri unguedine contusi corporis superlinire livores,

quod jam apud Apuleium exstat (Met. 3. 21).

Restat ut de aliquot verbis loquar quæ non inter superiora collocari poterant. Vocabulum *incensum* (francogall. *encens*) pro *tus* a Sulpicio Severo semel tantum adhibitum [1], nemo est qui non inter vulgaria numeret; non idem affirmaverim de vocabulo *conscensus*, quod recte quidem formatum, aliis tamen scriptoribus minime probatur, quibus *ascensus* magis placet : E. 2. 17, *negato in astra conscensu;* non idem de verbo *secretarium* (francogall. *sacristie*) [E. 1. 10 ; D. II. 1. 2 ; 8. 8] ; quod jam sed alio sensu apud Apuleium invenitur. Sciunt tamen omnes quam multæ verborum formæ ex illis in-*arius*, -*aria*,-*arium* exeuntibus vocabulis in linguas Romanicas profluxerint. *Secretarium* vero non latinæ linguæ superfuit, sed ad ejus vicem successit *sacristia*. portentosum infimæ latinitatis verbum [2].

1. I, 47.4. Incensum Deo obtulit.

2. Verbum ipsum *secretarius* in lingua vulgari nequaquam dura-

De vocabulis autem græcis, quorum perpauca apud Severum reperiuntur, nihil equidem habuissem quod dicerem — propterea quod nihil ad sermonem vulgarem pertinent, exempli gratia : *amphibalus* (D. II. 1. 5 et 7); *diplois* (I. 35. 7); *idolium* (sc. templum idoli. D. III. 8. 4 et 5); *usia* (II. 43. 2) —, nisi adhibuisset verbum *eremita* quod, cum apud nullum superiorem legatur scriptorem, linguæ Romanicæ susceperunt : D. I. 17. 1 : *in quo beatissimus Paulus primus eremita est diversatus.* Quid dicam de *eremus?* quod verbum apud Severum velut apud ceteros Ecclesiasticos scriptores sescenties occurrit? Quid de *scandalum?* quod Christianæ linguæ peculiare factum est. Præstat de nominibus adjectivis disserere.

§ 2. — De nominibus adjectivis.

Cum plura sint, quæ Severus insolentius usurpavit, nomina adjectiva, cavendum est in primis ne omnia vulgaribus verbis annumeremus, et rustica esse credamus quæ tantum testimonio sint nondum latinam linguam omnino exaruisse.

Quod si enim omnia-*alis* finita adjectiva singillatim executi erimus, quæ nove vel insolenter a Severo usurpata videntur esse, quid inde ad cognitionem sermonis latini vulgaris redundabit? Excepto verbo *rotalis* (D. 1. 13. 2 : *bovem unum habebat, cujus hic erat totus labor, impulsa rotali machina aquam producere.* Cf. *Capit. Opil. Macrin.* 12. 7.) quod de machina dictum est usita-

visse testatur nostrum *secretaire* quod **XIII°** p. C. seculo a doctissimo viro Brunetto Latini ad vitam revocatum esse apparet (Cf. Tresor. p. 71 : *Icist sains Jaques fu secretaires nostre Seignor.*)

tissima, nullum aliud video quod plebei sermonis esse contenderim. Etenim omnia fere quæ laudare possim propria sunt ejus dicendi generis quod vel in procuranda re publica vel in judiciis exercendis usurpatur. Sic *fiscalis* (D. II. 3. 2 raeda fiscalis) sic *imperialis* (II. 1. 4; 49, 3) sic *officialis* (II. 49. 4. D. III. 4. 7; 11. 7) sic *principalis* (D. III. 11. 8) sæpissime apud doctissimos viros, qui jus interpretari soliti sunt, et in publicis tabulis vel codicibus inveniuntur. Unum verbum, *mundialis* dico (*Chron. pr.* 4. *mundiales historici*; Cf. II. 4. 6.), Ecclesiasticorum est scriptorum, videturque idem *anomalum* (ut mihi liceat illo Servii uti vocabulo); quippe *mundalis* non *mundialis* esse debuit. Sed istiusmodi vitia quam libenter sequioris ævi scriptores excusaverint innumera docent exempla : *parricidialis* (Ambr., Caïn et Abel 1. 2. 5. Orell. inscr. 5497. —) *conjugalis* et *conjugialis*, *confinalis* et *confinialis*, *memoralis* et *memorialis*, *noxalis* et *noxialis*, *participalis* et *participialis*; *prophetalis* et *prophetialis*; *annalis* et *annualis*; *pascalis* et *pascualis*; *spiritualis* et *spiritalis* etc., etc., de quibus vide lexica. Cum vero horum adjectivorum nominum usus apud posteriores adeo invaluerit, ut plenissimum indicem describere sit difficillimum, non satis mirari possem si quis fecundissimam illam vim sermoni vulgari unice adjudicare vellet. Omittamus enim quædam vocabula (*æternalis*, *hibernalis magnalis* et similia), quæ, cum tantum referant antiquiores melioresque formas (*æternus*, *hibernus*, *magnus*....) plebeiæ linguæ jure ac merito assignanda sunt; quid vero dicendum de *acervalis*, *aditialis*, *agminalis*, *dapalis*, etc. ? Credo equidem hujus modi voces semper linguæ latinæ arrisisse, sed præsertim extremis temporibus, quoniam

pleniores ac consonantiores essent, adolevisse et accrevisse [1].

Adjectiva vero in-*arius* desinentia, cum præsertim Plauto [2] accepta sint, multaque post eum deciderint, vel rursus Gellii Apuleique temporibus apparuerint, nihil obstat quin plebeia esse dicamus, qualia sunt apud Severum nostrum :

Annonarius. I. 11. 7 rei eum annonariæ præfecit. Cf. Veget. III. 3. 3. Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod. 11. 22. 4.

Consuetudinarius. D. I. 14. 2 consuetudinarium cenæ tempus. Quod verbum a Sidonio quoque et a Salviano, gallicis scriptoribus, usurpatum esse lexica nos docent.

Temporarius I. 28. 7. Judas temporarius dux belli assumptus est.

Haud aliter judicandum esse opinor de adjectivis in -*icius* exeuntibus : namque istiusmodi formationis exempla potissimum apud scriptores minime elegantes reperiuntur [3], et in Italicorum lingua servata sunt (subst. in *iccio*, *izio*). Horum adjectivorum magna pars a participiis inclinatur, ita tamen ut fere idem valeat adjectivum quod participium, exempli gratia *compositicius* nomini eadem sit significatio quæ participio *compositus;* nonnulla vero denominativa sunt, velut *armenticius*, *gentilicius*, *lanisticius*, etc., et apud Sulpicium Severum :

1. Cf. *æqualis* — *ambarvalis* — *auguralis* — *capitalis* — *comitialis* — *decemviralis* — *dotalis* — *exitialis* — *extemporalis* — *fatalis* — *feralis* — *fluvialis* — *frugalis* — *glacialis* — *hiemalis* — *letalis* — *liberalis* — *lustralis* — *maritalis* — *matronalis* — *medicinalis* — *mortalis* — *muralis* — *natalis* — *navalis* — *nemoralis* — *nuptalis* — *pastoralis* — *pluvialis* — *provincialis* — *regalis* — *ritualis* — *sacerdotalis* — *septemtrionalis* — *septemviralis* — *socialis* — *sodalis* — *vocalis* — *etc.*, *etc.*

2. Lorenz, *Pseudol.* 290 et 925. et H. Roensch, *op. l.*, p. 134.

3. Cf. Albr. Kœhler, *De auct. bell. Afr. et Hisp., latinitate* in *Actis Semin. philologici Erlangensis*, vol. I, p. 376.

Palmicius. D. I. 11. 4 conspiciunt palmiciam sportam.
D. I. 14. 2 casu contigua cum panibus quinque palmicia fiscella pendebat,

quod recentissimum esse testantur lexica;

Pellicius. D. 1. 4. 1. ibi invenio senem in veste pellicia.
D. II. 10. 3 cum subulcum algentem ac pæne nudum in pellicia veste vidisset,

quod adjectivum loco nominis substantivi acceptum frequentissime a Francogallis usurpatur (Cf. *pelisse*. ital. *pellicia*).

Ne adjectiva quidem in-*bilis* exeuntia, quorum mox mentio fiet, ab hoc genere sejungi possunt; nam et soli posteriores scriptores ea in deliciis habuere, et vir eruditissimus idemque harum rerum peritissimus Hermannus Rœnsch in opere suo digessit [1] :

Conspicabilis. *M.* 21. 1 diabolum vero ita conspicabilem et subjectum oculis habebat. Cf. Prudent, π. στεφ. X. 631; Phœbad., de Filii Divinit. 8; Sid. ep. 8. 4.
Contemptibilis. *M.* 9. 3. dicentes contemptibilem esse personam. *D. II.* 11.6 : contemptibilem reddit exercitum. Cf. Ulp. Dig. I. 16. 9; 21. 2. 37; Arnob. 4 p. 155.
Culpabilis. *E.* 3. 3 tu sola culpabilis. Cf. Apul. Arnob. 7 p. 222; Tertull., ad Uxor. 2. 1.
Despicabilis. *M.* 9. 3 : indignum esse episcopatu hominem vultu despicabilem. Cf. Cassiod. Compl. 14 in Act.

Accedunt duo Gallis familiarissima adjectiva, e. c. *bigerricus* (D. II, 1. 8 : *bigerrica vestis*) et *gurdonicus* (D. I. 27.2 : *audietis me tamen ut gurdonicum hominem*) quæ nemo vulgaris esse sermonis negabit. Nec omit-

1. *Ital. u Vulg.*, p. 109. sqq.

tenda sunt *jugis* (I. 52. 2; E. 1. 1; D. I. 9. 4) et *parilis* (II. 14, 2; D. III. 9. 2) cum quibus conferri ea possunt quæ Roensch adhibuit [1].

Quod ad composita attinet adjectiva, assentiemur eidem Roenschio, qui cotidiano sermoni assignat :

Attiguus [2]. *Dial. I.* 13. 8 attigua ramis humilioribus poma. — Cf. Apul. met. 4. 3 et 12; 6. 12; — Paul. Nol. nat. S. Fel. 13. 331.

Duodecennis (ἅπαξ λεγόμενον). *D. III.* 2. 3. paterfamilias quidam duodecennem filiam ab utero mutam Martino cœpit offerre.

Illucubratus [3]. *E.* 3. 3. ut sine dilectu ullo familiariter scripta aut neglegenter emissa illucubrata tibi penitus atque impolita tradantur.

Immaculatus [4]. *I.* 15. 1. agnus immaculatus.

Denique ex optimorum codicum auctoritate Carolus Halm, textu suo recepit *incassus* adjectivum (D. III. 10, 3 *incassa tentamina*) cujus non est alterum exemplum.

§ 3. — De verbis simplicibus [5].

Notum est a scriptoribus latinis sæpe verbum *facere* cum adjectivi alicujus accusativo ita conjungi, ut verbi aut intransitivi aut transitivi notio inde efficiatur. Usitatissima igitur fuerunt inde ab antiquissimis temporibus « durum facere » pro « durare », « reliquum facere » pro « relinquere », « perspicuum facere » pro « demonstrare », « saucium facere » pro « sauciare » et si qua

1. *Ib.*, p. 118 et 117.
2. *Ib.*, p. 124.
3. Roensch. *Itala u vulg.*, p. 228.
4. *Ib.*, p. 225.
5. Simplicia ea dico quæ non cum particulis aut præpositionibus sunt composita.

alia sunt. Sed quemadmodum plebeis hominibus natura ingenitum est, ut quam simplicissime quamque expeditissime, quid sentiant, exprimant, ita, illis vocabulis inter se arctius conjunctis, effectum est ut unum ex duobus componeretur. Nempe cum latinæ linguæ sit quoddam verborum genus in *ficare* cadentium, qualia sunt apud veteres *amplificare*, *gratificari*, *lætificare*, *magnificare*, *notificare*... ex adjectivis orta, minus elegantes, et, ut ita dicam, plebei scriptores sibi in eis propagandis ac multiplicandis indulserunt. Hinc innumera ab Hermanno Roensch digesta in *ficare* verba, inter quæ Sulpicii Severi esse comperi :

FRUCTIFICARE [1]. *D. I.* 13. 3. ut mirum in modum virere atque *fructificare* horti illius holera viderimus.

GLORIFICARE [2]. *D. I.* 18. 6. probatus obœdientia *glorificatus* est passione. *D. III.* 10. 5 sanctum suum usquequaque glorificans.

HONORIFICARE [3]. *I.* 17. 7, *honorifica* patrem tuum et matrem tuam.

JUSTIFICARE [4]. I. 18. 9. non *justificabis* impiam pro muneribus.

Quid? quod in hujusmodi conformationibus magis atque magis brevitati et simplicitati studentes plebei viri novum verborum genus ex nominibus vel substantivis vel adjectivis in usum receptis declinaverunt, qualia sunt *dulcorare*, *fœderare*, *falsare*, *humiliare*, *salvare*, etc. Sic Severus noster pro « brevem aliquam rem facere » *breviare*, et pro « aliquem salvum facere » *salvare* adhibuit :

1. Roensch, *It. u Vulg.*, p. 175.
2. *Id.*, *ib.*
3. *Id.*, *ib.*, p. 176.
4. *Id.*, *ib.*, *ib.*

BREVIARE. *I.* 1. 5. « quæ de sacris voluminibus *breviata* digesimus » quod verbum jam apud Quintilianum usitatissimum esse notum est.

SALVARE. *M.* 6. 3. plures tamen suo *salvavit* exemplo.

D. I. 22. 2. filiumque unicum ac domum totam cum uxore *salvaret*..; sescenties a scriptoribus Ecclesiasticis usurpatum.

Conferatur etiam verbum *unire* (II. 43, 1. *Interea legatos Ariminensis consilii ex parte nostrorum compellit imperator uniri hæreticorum communioni*), quod a Seneca (nat. qu. 2, 2, 4) verecunde propositum in sermone vulgi vigebat. Neque minus apparet illa ὀνοματοποΐα, id est, fingendorum nominum facultas, plebeiæ linguæ familiarissima, in eis verbis, quæ apud Sulpicium legimus [1] :

ANATHEMARE. *D. II.* 12. 9. hæreticam judicasset et anathemandam esse decrevisset.

STELLARE. *E.* 2. 3. stellantibus oculis... Cf. Plin. 37. 100; Symm., Ep. 3. 11.

VADARE. *I* 22. 3. neque vadari fluvius poterat. Cf. Veg. m. 2. 25.

VIARE. *D. II.* 3. 8. cognoscunt ex viantibus. Cf. Quint 8. 6. 32. *hoc feliciter evaluit : at contra vio pro eo infelicius*. Apul. Amm., Solin.,

§ 4. — De verbis compositis.

De verborum cum præpositionibus compositione disputans doctissimus vir E. Wölfflin [1] luculentissime demonstravit præpositiones, cum in sermone erudito ac perpolito propriam significationem retineant, in cotidiano tantum ad augendam corroborandamque verbo-

1. *Philologus.* XXXIV, p. 158 sqq.

rum vim aptas videri. Quo fit ut simplicium partes magis atque magis composita verba suscipiant in eo dicendi genere cujus proprium est maxime significantia, quin etiam redundantia et superfluentia vocabula arripere. Sic apud auctorem Belli Africani « convulnerare » non « vulnerare », « conterrere » non « terrere »; sic apud comicos « despoliare » (in lingua nostra *dépouiller*, in hisp. *despojar*) « deosculari », etc., etc., leguntur. Sic denique accidit sæpissime ut in linguis Romanicis omnino perierint simplicia. Conferantur enim apud nos verba « conduire, convier, dépouiller »; apud Hispanos « comer, concomitar », etc. Quæ cum ita sint, videamus quatenus noster iis indulserit.

Adorare pro *orare* D. I. 3, 2, *ad sepulchrum Cypriani martyris adorare*. Alterum hujus significationis exemplum non afferunt lexica.

Appropiare [1] D. III. 6, 2 : *appropiante Martino*, quod verbum a comparativo declinatum (*propius*), arctissime conjungitur cum *approximare* verbo quod a superlativo (*proxime*) tractum, in antiquiore nostro sermone *aproismer* generavit.

Circumlatrare (M. 27, 4, *licet nosmet ipsos plerique circumlatrent*) etsi apud Vergilium et Senecam semel legitur, tamen, cum scriptores sequioris ævi et in primis Ecclesiastici frequentissime usurpaverint, familiari sermoni propius est.

Huc quoque referri potest *circumsæpire* (E. 1, 5, *circumsæptus ignibus*). Nam passim in Vulgata invenitur. Quod ad verba cum præpositione *circum* composita at-

1. Cf. *Vulg. intpr. Exod.*, 5, 5, I, Macch, 11, 4: 9, 10. Luc. 10, 34. — Lucif. Calarit pro S. Athanas, I, p. 82; Roensch, p. 181.

tinet, perpauca sunt in lingua vulgari neque invaluerunt. Formationum enim illarum ne vestigium quidem in Romanicis linguis apparet.

COMPATI (D. III. 18, 2 : *compatientis alloquio non exprobrantis elogio*) vere plebeium est; hoc enim vocabulum primum ex Tertulliano notatum videmus neque antiquius habemus exemplum [1]. Jam increbruisse illud verbum testantur Cælius Aurelianus (ac. 2, 16), Phæbadius, (*contr. Arian.* 19), Hieronymus (*adv. Jovin.* II 8. in *Jerem.* II. ad 9. 17 sq.) Augustinus (*ep.* 40, 6; *Confess.* 2), Alcimus Avitus (3 *in fin.*) etc.

CONGAUDEO (D. III. 1, 2, *Siquidem natura ita comparatum sit, ut meliore quis conscientia se nosse congaudeat*) esse idem fere quod *gaudeo* nemo negabit, dum Tertulliani et aliorum Ecclesiasticorum scriptorum exempla legerit [2].

In locutione *conregnare cum filio* (II. 33, 5) *conregnare* sine dubio pro simplici *regnare* positum est; cujus usus habemus alios auctores sinceræ latinitatis parum diligentes (e. c. Tert., *adv. jud.*, *8 : Cleopatra conregnavit cum Augusto annis tredecim*).

Neque aliter se habet verbum *consepelire* toties a scriptoribus Ecclesiasticis adhibitum, quod non semper « una cum alio sepelire » sed « sepelire » tantum significat, e. c. apud Severum nostrum (D. III. 18, 1, *ubi sit consepultus noster ille Pomponius*), qui de uno homine *consepelire* dicit. Sed rectius idem Sulpicius (M. 11, 1, *velut consepultis ibi martyribus*).

Conspirant multi sequioris ævi scriptores in usu voca-

1. Tertull., adv. Prax., 59; anim., 5.
2. Roensch, *op.*, *l.*, p. 186.

buli *exsufflare* [1] quod Severus invitus ac renitens admittit : (D. III. 8. 2 *quem* (dæmonem) *eminus ut verbo, quia ita necesse est, parum latino loquamur, exsufflans, Avitianus se exsufflari existimans...*). *Exsufflare* autem, cum apud Ecclesiasticos quidem proprie dicatur de eo cui munus est *dæmonas adjurare*, apud medicos vero idem sit quod *inflare*, *inspirare*, credo equidem hinc ortum esse vetus nostrum *essofler* [2] (ventulum facere alci, Plaut. Cas. 3, 5, 14, et Curc. 316. Ter. Eun. 595).

Obarratus solum apud Sulpicium est (E. 3, 2 : *nimirum obarratos habes notarios meos*.

Perurgere (D. III. 6, 4 : *tum vero cerneres miseros diverso exitu perurgeri*) vocabulum est primum ex scriptoribus Historiæ Augustæ [3] notatum, qui omnium judicio vulgari sermoni plurimum inservierunt. Nihil igitur mirum si in Vulgata sæpissime occurrit.

Præfigurare vero (II. 3, 5 *pedes vero partim ferrei partim fictiles dividendum esse Romanum regnum..... præfigurant*) eidem dicendi generi assignare dubito, quippe id est vocabulum in quo præpositio vim suam retinuerit. Sed hoc utut est, illud dubium esse non potest quin passim ab Ecclesiasticis viris et potissimum a Divo Hieronymo adhibeatur [4]. Non ita de sequentibus verbis : nempe *protestari* (D. I. 5, 6 : *altiore consilio protestatus*

1. *Id.*, *ib.*, p. 192.
2. Cf. *Bat. d'Aleschans*, v. 4824 :

Mais la ventaille ne li velt pas noer.
S'il a mestier, por le miex essofler,
Et que delivres peüst li bers aler.

3. Cf. Roensch. *op. l.*, p. 196.
4. *In Is. VI* ad. 16, 14, *ep.*, 18, 14 ; 36, 16.

ecclesiam auro non instrui) idem valet quod simplex *testari* apud Macrobium posterioresque Jurisconsultos, et *provulgare* (II. 5, 4, *facti miraculum provulgare*) non nisi apud deteriores scriptores pro *vulgare* accipitur [1].

Non hæc omnia sunt quæ de verborum cum præpositionibus compositorum usu apud Severum dici possint. Sed cum non ad verborum copiam sed ad elocutionem potius pertineant, has observationes in præsentia omittimus.

§ 5. — De adverbiis.

Pauca admodum sunt de adverbiis dicenda. Sulpicius enim neque formavit in-*ter* adverbia ab adjectivis in-*us* ducta, neque adverbia in-*tim* adamavit, quæ sermonis esse cotidiani docent ei quibus earum rerum judicium est. Attamen apud eum comparent vel rara vel minus legitima quæ non indicare non possumus :

Cruente pro *sæve*, *crudeliter* (II. 23, 5 : *victores Syri cruente admodum victoria usi*) serioris latinitatis est adverbium, quoniam Justinus (23, 2, 7; 39, 3, 8) eo tantum cum nostro usus est Sulpicio; Seneca vero (Ben. 5, 16, 5) et Florus (3, 19, 2; 3, 21, 4; 4, 12, 36) comparativum, solus Orosius (1, 17) superlativum usurpavit.

Sequuntur complures adverbiorum in-*ter* formæ, quas cum in æqualium scriptorum operibus agnoscamus, communia ac promiscua illis temporibus fuisse credimus :

1. *Provulgare* exstat apud Suetonium (Ner., 36 *conjurationes*), Apulejum (apol., 84; *eas litteras*). Tertullianum (adv. Marc. 4, 21 : *id noluit provulgari quod Petrus senserat*), Donatum (Ter. Ad. pr. 4.). Sidonium (ep., 9, 11 : *operam.*)

Incunctanter (D. I. 13, 7 : *sanctus vero ille incunctanter accessit*). Cf. Symm. ep. 3, 67, Hier., in Is. XII ad 43, 1 sqq. — Oros., 7, 34.

Irrationabiliter D. II. 4, 9 : *cum quidem ad nos conversus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri*. — Cf. C. Aur., Hier., *adv. Lucif.* 4; *in Cant, tr.* 2 col. 516.

Mirum est adverbium *latenter* semel a Cicerone (*top.* 63) adhibitum, neque ab Ovidio poeta spretum (*ex Pont.* 3, 6, 59 et 60) omnino post hos scriptores evanuisse. Qua re non veri dissimile crediderim vocabulum illud parum urbanum judicatum esse, præsertim cum rursus appareat, vergente jam in senium latina lingua. Conferantur enim Ammianus (14, 1, 6; 2, 10, etc.), Vegetius (*mil.* 3, 36) Sulpiciusque noster (D. II. 1, 5 : *tunicam latenter eduxit*).

Specialiter vero proprium videtur esse philosophiæ vel grammaticæ verbum, quod inde a Celsi temporibus increbruit, ut docent aliorum et Severi exempla (II. 42, 3 : *cum tamen nihil de eo specialiter mandasset imperator*). Item de *visibiliter* et *invisibiliter* (D. III. 9, 2 : *parum scilicet, si invisibiliter cæli virtutibus uteretur, nisi ipsæ virtutes visibiliter servire Martino humanis oculis cernerentur*) [1].

Restat ut de quibusdam adverbiorum formis disseramus quæ compositæ videntur esse recentiori tempore. Vocabuli enim *hucusque* [2] nullum habemus antiquiorem Plinio testem; *nuncusque* vero quod Ammianus Marcel-

1. De illis in-*bilis* formationibus vide Reblingium (p. 14) et Lorenzium (ad Plaut. Pseud. V, 933), qui vulgaris potissimum sermonis eas esse contendunt.

2. E. 3, 13. *Jam satis est quod hucusque servari.*

linus (14, 2, 13) scripsit, vitium est latini sermonis et pæne barbarum : quod haud scio an sentiendum sit de *quoadusque* (D. I. 26, 1, *quoadusque vivam semper et sapiam;* Cf. E. 3. 13, *quoadusque ipse tu jusseris*) et *quantocius* (D. III. 4, 6 : *discede quantocius*), adverbiis urbano sermoni ignotis.

CAPUT II

DE NOMINUM AC VERBORUM QUORUMDAM NOVA SIGNIFICATIONE

Cum nobis sit propositum ea potissimum perquirere quæ ad cognitionem latini sermonis cotidiani pertineant, haud pauca neglegamus necesse est quæ minus apte in rem cadere videntur. Itaque non mirum est, si Sulpicii vocabula omnia non proferimus quæ a propria ac communi significatione recesserunt [1]. Ea enim tantum pro-

1. Omisimus enim : *Actus* pro *acta* (II, 12. 1 : 14. 1 : 26, 14); *ambitus* pro *pompa* (II, 34, 5): *annonæ et cellaria* (II, 41, 2); *comitatus* pro *aula* principis (D. II, 5 ; III, 11, 3): *evectio* (II, 42, 3): *fabula* pro *confabulatio* (E, 1. 1); *pensitatio diurna* pro *cibus et potus* (II, 8, 3); *titulus*, στήλη (I, 8. 5): *tractator* pro *interpres* (D, I, 6, 1); *tractus* (I, 23, 8) et *temporis tractus* (I, 13, 6 : II, 5, 1 : 9, 3 : 12, 1 : 33. 4): *captivus* pro *invitus* (II. 45, 2); *compendiosus* pro *brevis*, σύντομος (I, 1, 1): *captatus* pro *deceptus* (D, II, 1, 4): *fungi vita* pro *defungi vita* (I, 41, 6 ; 47, 4): etc. *Appetere* pro *tentare ad stuprum vel adulterium* (II, 11, 4 : 1. 5 : 13, 8): *corripere* pro *tentare vel corrumpere* (I. 28. 1): *excolere* pro *vehementer appetere* (I, 23, 5); *explicare* pro *absolvere* (I, 40, 2 ; II, 11, 5): *suscipere superstitiones* (II, 18, 7): *transferri* pro *transferri in cælum* (I. 2, 5, 45, 3), etc.

Adde quod verba nonnulla Christianæ religionis propria negleximus : *Benedictio*, id est, « res usu et contactu alicujus sanctificata » (D, II. 8, 9); *circumcisio* (II. 31, 4, etc.), *conversatio*, pro *vivendi ratio*, ἀναστροφή (M. 22, 4 : 26, 2): *cultura*, σέβασμα (I, 51, 4 : *gentes* (I, 49, 5): Cf. *gentiles* (II, 1, 3) et *Gentilitas* (I, 49, 4) : *humilitas* (M. 2. 9 : 10, 2): *passio* vel Dominica (II, 33, 5), vel martyris (II, 32, 6); *seculum* pro *mundus sive orbis terrarum* (I, 4, 2); *prædicare* (M. 1, 1), et *prædicatio*. (I, 48, 3).

ponemus quæ parum urbana esse videbuntur. Quemadmodum autem plebei ingenii proprium est non nisi sonantia ac significantia verba promere, ita in verborum immutando sensu vividum quoddam ac dilucidum requirere solet. Hinc miræ illæ voces quibus in gallica nostra lingua corporis partes expressæ sunt, ut vocabulum *tête* idem sit quod « testa » (*tesson*), *jambe* quod « gamba » (*genouillère*) [1], *poitrine* quod « pectorina » (*cuirasse*) [2], *épaule* quod « spatula », *peau* quod « pellis » (*fourrure*), *joue* quod « gabata » (*jatte, écuelle*). Hinc plebeius homo non *discit*, sed *apprehendit;* non *ducit*, sed *minat;* non *exspectat*, sed *attendit;* non *onerat*, sed *carricat;* non *recumbit*, sed *se collocat;* non *vertit*, sed *tornat*. Unde intellegi potest apud eos frequentissimum esse illius figuræ usum quæ μεταφορὰ græce vocatur. Nostrum igitur erit perquirere quæ verba a Severo translata plebeia vere dici possint.

In primis sint posita quæ plane manifesta sunt. Sæpissime in Vulgata [3] et apud Severum occurrit vocabulum *lacus* pro *fossa* vel *fovea :*

I. 18, 5. *Si quis defossum lacum non cooperuerit, pecusque in lacum ceciderit.*

I. 54, 4, *in lacum immensi profundi* (*Jeremias*) *demissus est.*

II. 7, 2, *principes pervicere ut in lacum demitteretur* (*Daniel*), etc.

Notum quoque est non jam *domum* sed *mansionem* in linguis novis usurpari, cujus vocabuli propria est signi-

1. Cf. Hispan. ling. *pierna*, a vulgari latino vocabulo « perna » (*jambon*).
2. Cf. *poitrail* a « pectorale », quod equi pectus adversum tegit.
3. Roensch, *It. u. Vulg.*, p. 315.

ficatio : *manendi actio*, sed mox idem valuit quod apud nos *maison*. Severus autem hoc vocabulum sæpius adhibet eodem sensu quo nos dicimus « appartement ». Cf. E. 1, 10 : *mansionem ei in secretario ecclesiæ clerici paraverunt*. D. II 8, 7 : *prætoriens ergo Martinus in secretario ecclesiæ habuit mansionem*[1]. Et, quoniam se præbet occasio, animadvertendum est verbum *ecclesia* (E. 1, 10 : mansionem ei in secretario *ecclesiæ* clerici paraverunt) non esse pro « Christiani populi conventu », sed facillima translatione significare « locum quo orandi causa conveniant Christiani ». Quod cotidiani esse sermonis demonstrant et linguarum Romanicarum et latinorum scriptorum exempla : *Aurelian. Imp. in quadam epist. ap. Vopisc.* 20 « quasi in Christianorum Ecclesia non in templo Deorum omnium tractaretis ». Ammian. 21, 2 extr. : « Progressus in eorum Ecclesiam... » id. 28. s. f. Plurimi autem sunt apud nostrum loci (II. 33, 4 : *Hierosolyma... frequentissimis ac magnificentissimis ecclesiis adornata*. M. 10, 3 : *adhærenti ad ecclesiam cellula usus est*. ib. 13, 9 : *ut jam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesiis frequentissimis aut monasteriis sit repletus*).

Haud scio an *opinio* (*rumor*, *fama*) vulgari sermoni sit assignanda, his locis : II. 29, 1 : *sed opinio omnium invidiam incendii in principem retorquebat*. — II. 6, 6 : *Danielem illustri opinione compertum universo imperio præposuit*. Eodem enim sensu legitur *opinio* apud Suetonium (Ner. 53 : *exiit opinio, proximo lustro descensu-*

1. Adhibuit etiam hoc verbum alio sensu, ut *D.* 1, 8, 1 *ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest*, videtur autem idem esse quod apud Cæsarem *statio* (étape).

rum eum ad Olympia inter athletas) et apud Justinum (8, 3 : *Mittit qui opinionem sererent, regem magna pecunia locare*).

Inter adjectiva vero primum occurrit « grandis » quod pro « magnus » in cotidiano sermone usitatum fuisse viri docti censent : etenim cum in linguis Romanicis vix rara verbi « magnus » vestigia agnoscantur, jam in vulgari Romanorum lingua paulatim excidisse credendum est. Testem adhibuit Albr. Kœhler [1] belli Africani auctorem qui, ubicumque « magnus » occurrere debuit adjectivum « grandis » posuit : sic *peditatus grandis* (18, 1); *grandis familia* (34, 2); *levis armaturæ grandis numerus* (48, 1); contra Cæsar (B. civ. 3, 10, 3 *magnæ copiæ;* B. gall. 1, 3, *magnus numerus*, etc.). Sic apud Sulpicium nostrum (I. 27, 4 : *grandi Allophylorum exitio abreptæ uxoris injuriam ultus videbatur;* M. 11, 2 : *grandi se scrupulo permoveri*); cum vero *scrupulum* sit proprie levissimum omnium pondus, videtur quam mire cum « grandis » adjectivo conjungatur idem quod « ingens » vel « immanis » significante. Sed non hæc erant superlata verba eis hominibus quibus non jam erat perspicuum quid « scrupulum », quid « grandis » proprie indicaret.

Neque minus forti dicendi genere utitur Severus, D. I. 14, 5, *dejectis in terram profundo pudore luminibus.* Etsi enim Cicero translate « profundus » sumpsit pro « immensus, infinitus » (in Pis. 21, *profundæ libidines*), quam vim eloquendi neque a Sallustio [2] neque a Velleio [3]

1. Auct. *bell. Afr. et Hisp. Latinitas*, p. 397.
2. Sall. J. 81, *et profunda avaritia.*
3. Vell., 2, 125, *rabie quadam et profunda confundendi omnia cupiditate.*

alienam fuisse constat, tamen nihil obstat quin hoc e plebeio fonte petitum sit. Quid de adjectivo « validus »? I. 22, 3 : *Sed Jordanis flumen validissimum transitum prohibebat*. Cum proprie dicatur de iis qui corporis tum viribus tum sanitate præstant, usurpatur tamen a poetis de rebus etiam inanimis [1]. Jam vocabulum illud, si animadverteris nusquam apud Cæsarem, apud Ciceronem rarissime comparere, et inde a primo post Christum seculo potissimum in medicorum libris [2] invaluisse, vulgari dicendi generi assignare non dubitabis.

Denique haud procul absum quin cotidiani sermonis esse credam adjectivum « miser » pro « ineptus » positum : II. 50, 4 *fuit... audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri et gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eo usque processerat, ut... Ausus etiam miser est ea tempestate Martino episcopo palam objectare hæresis infamiam.*

Occurrit etiam alio sensu, his locis : M. 25, 3 *Miserum me* (sc. indignum) *pæne non audeo confiteri cum me sancto convivio suo dignatus esset adhibere, aquam manibus nostris ipse obtulit.* — E. 1, 3 : *o istum, quisquis est, miserum! Judæorum in verbis ejus perfidiam et dicta cognoscimus.* — E. 1, 6, *Agnosce enim, miser, agnosce quod nescis.*

Prior autem verbi significatio, quæ in nostro vocabulo « *pauvre* » quoque inest, scriptoribus Romanis minus elegantibus non erat ignota [3].

1. Cf. Lucret., 3, 508 et 6, 137: *validus ventus;* 1, 301, *validus æstus;* 6, 228, *validum fulmen;* 1, 292 *validum flumen.* — Lucan., 5, 618 *validi fluctus.*
2. Confer enim omnia Celsi exempla quæ Georges in Lexico adhibuit.
3. Cf. Cels. 5. 26. 34. *miserum remedium*, i. e. *inepte propositum.*

Scitus unde in sensum adjectivi « bellus » transierit non satis compertum habeo : D. III. 15, 2, *arguebatur a multis non solum pueros barbaros sed etiam puellas scitis vultibus coemisse*. Sed cum non solum apud Terentium [1], sed etiam apud Lampridium [2] inveniatur, omnino cotidiani sermonis est.

De verbis locuturo mihi liceat a vocabulo *manducare* exordiri quod semel tantum a Severo adhibitum [3] linguæ Romanicæ pro *edere* vel *comedere* reposuerunt. Etenim *manducare*, cum idem sit quod *dentibus cibos extenuare*, exemplis supra allatis addi potuit quibus comprobatum est vividum quoddam ac significans a plebeis hominibus semper requiri.

Notatione porro dignum est verbum *fatigare*, quod in Gallia, ut Severus testatur [4], pro « cavillari » valebat, unde *fatigatio*, id est, « cavillatio, qua risus causa quempiam fatigamus [5]. »

Denique vere plebeiæ sunt voces *compungi :* D. III. 13, 4, *merito, inquit, Martine, compungeris* [6]; *confundere* pro « pudore suffundere » gr. αἰσχύνειν, quarum plura sunt apud Severum exempla : M. 9, 6 *quo lecto clamor populi tollitur, pars diversa confunditur;* ib.

1. Ter. Andr. 3, 2, 6, *scitus puer*. Cf. Donat. ad loc.., *elegans, pulcer quod Græci κόσμιον dicunt*.
2. Lampr. Commod. 2 fin., *forma scitior*.
3. Sulp. Sev. D, I, 16. *quamquam ego studio manducandi etiam angelos manducare credam*. — Cf. Marc. Emp. p. 297, E, *radicis edulis id est quæ manducatur*; id. 366 B, *restituit cupiditatem manducandi*. Plin. Val. II. 17, *nec carnem manducet donec sanus fiat*, etc. Cf. etiam Roensch, lib. I. p. 214.
4. Sulp. Sev., D, I. 4, 6, *nullam occasionem omittis quin nos edacitatis fatiges*, ib., I. 5, 2. *ne se Gallus æstimet fatigari...*
5. Sulp. Sev. D, I, 4, 6, *dum fatigationem meam accipit*. Cf. Sid. ep. 1, 8, *fatigationum salibus admixtis*.
6. Cf. Roensch. *It. u. Vulg.*, p. 354.

16, 5 *qua ille voce confusus obstipuit;* D. I. 14, *lupa conscio pudore confunditur;* D. II. 3, 9, *conscii facti ac meriti, pudore confusi;* D. II. 11, 5, *tum demum miles confusus erubuit* [1]; unde *confusio*, id est « pudor » (αἰσχύνη) : D. I, 14, 5 *quam illius confusionem eremita miseratus...*, vel « tristitia ». E. 3. sub fin. *tam erat sancta de ejus gloria exultatio, quam pia de morte confusio* [2]; *demorari* quod italica lingua « dimorare », nostra « demeurer » factum est : D. I. 15, 3 *quem... reppererunt in extremo illo deserto. . demorantem* [3]; *dissimulare*, id est *neglegere* [4] : I. 13, 3 *nec dissimulari cruentum imperium licebat.* II. 1, 4 *ne dissimulatum imperium regis consecutura macies proderet.* D. I. 14, 4 *ad eum venire dissimulans.* D. II. 1, 4 *dissimulatum se a clerico querens;* unde *dissimulanter* pro « neglegenter » : I. 48, 5, *igitur non dissimulanter, ut olim Sodomis audita est vox prophetæ; insinuare* id est « notum facere [5] ». II. 42. 6 : *decreta ad imperatorem legatio quæ gesta insinuaret.*

Atque vide qualia sint fere omnia quæ modo attulimus : nempe composita cum præpositionibus vocabula. Quo fit ut vera magis atque magis esse videantur ea quæ de compositorum verborum liberiore usu diximus.

1. Cf. eundem Roensch, *Ib.*, p. 354.
2. Jam apud Vellejum et Tacitum translate pro perturbatione animi. Cf. Roensch, p. 309.
3. Cf. Roensch, p. 357.
4. Cf. Veget., M., I, proem., 5, *damnosam curationem dissimulare.* — Augustin. Civ. Dei., I, 9, 1. *plerumque ab eis docendis... male dissimulatur.*
5. *Insinuare* eo sensu apud jurisconsultos invaluit unde a posterioribus sumptum est. Cf. C. Paucker, Scrutar, p. 10 et 44, ubi adde Hier.. ep. 125, 2. *totum quod insinuare tibi cupio... illud est, ut in quo litore pudicitiæ pirata sit noveris.*

Quid? quod nonnulla afferre nunc licet quæ, quia tantum de *novis* vocabulis erat quæstio, supra enumerare distuli. Etenim, cum pro simplici verbo « solvere », *absolvere* vel *dissolvere* [1]; pro « mittere », *amittere* [2]; pro « servare », *observare* [3]; pro « curare »; *procurare* [4]; pro « movere », *promovere* [5]; pro « trudere », *retrudere* [6], etc., sæpius apud Sulpicium occurrant, non fortuito illud aut scriptoris arbitrio sed ex linguæ necessitatibus factum esse existimaverim, cui jam fere nihil simplicia valebant.

Sed quam parvi momenti sint illæ præpositiones, docent hæc verba in quibus aliæ in aliarum locum succe-

1. M., 25, 6 *in absolvendis scripturarum quæstionibus promptus*; id., 6, 2, *matrem gentilitatis absolvit errore*. Chron. I, 11, 6, *quod* (somnium) *cum a prudentibus Ægyptiorum non posset absolvi*; II. 2, 4, *visa regis refert absolvitque*: II. 42. 5: *absolutis omnium animis* (= mala suspicione liberatis).

Unde *absolutio judicii* (i. e. diremptio, sive decisio): I. 39, 3, *difficilis judicii absolutio*. Cf. *dissolvere* Chron., I, 50, 4, *sacrilegii pœnas dissolvere*.

2. D. III, 1. 1. *hesterno auditorium amisit*. Cf. II, D, 14, 6. « *dubitare cœpimus, utrum Gallum adhuc esset melius audire, an exoptatissimo nobis viro... occurrere. Tum Gallus : etiamsi non ob adventum sanctissimi sacerdotis, relinquenda nobis hæc esset oratio, nox ipsa cogebat huc usque prolatum finire sermonem.* »

3. Chron. I. 33, 7. *non ordines observare*. Sic Halm. ex mss.: *servare* malebat Vorstius.

4. Chron. II. 1, 4. *imperialibus impendiis procurabantur*.

5. Chron. I. 21. 4. *Igitur Moyses ex eo loco promovens*.

6. M., 4, 6, *retrudi ergo in custodiam jubetur*. Cf. Heges. 4. 9, 5, *retrudere aliquem in carcerem*. — *Cod. Theod.* 1, 5. 1, *in metallum*. Multa sunt pro simplicibus cum « re » particula composita verba quæ in senescente latinitate deprehendas. Cf. relegere (i. e. legere). V. *Aurel.*, 24, 7, *reddere* (cibum). — *Cæl. Aur.*, VI. 1. 8. — Reficere poemata *Apul. Flor.*, 9, p. 12, 2 Kr. — Remittere (i. e. mittere) *Fulg. Myth.*, I, p. 610. — *Dict. Cret.*, II, 5 ex. — Respicere *Dar.* 10, 21, 24, 33. — Retinere, *Vict. Cæs.* I, 5. 33. 28. *Dict.* III. 20, etc. — Retractare (i. e. tractare) *Tert.*, *idol.* 13, 17 et sæpe. — Recludere *Tert.*, *idol.* 17, quod patrum nostrorum lingua « reclure » verbo expressum est. Hodie porro dicimus « rapetisser », non jam « apetisser ».

dunt : *exponere* [1] pro « deponere », *incedere* [2] pro « exoriri », *præcidere* [3] pro « concidere », *proclamare* [4] pro « exclamare [5] ».

Quod si non de latinitate Sulpicii tantum sed de ea ratione in universum disputaremus qua Romanicæ linguæ latinorum verborum significationem immutaverunt, non satis esset suo ordine omnia vocabula disponere quæ translata fuisse constat. Nostrum quoque esset de causis ac condicionibus cognoscere. Quod quam difficile sit nemo non videt, cum in intimum animi sensum, quo nihil est in homine reconditius, sit introspiciendum. Quædam vero patent ac manifesta sunt, modo recentium populorum et privata et publica instituta respicias. Uno vel altero exemplo uti satis est. Cur « *parabola* », non « *verbum* » exstat in recentiorum linguis? Nimirum quia « verbum » christianæ religionis peculiare pro sancto ac divino habitum est. *Parabola* autem in cotidiano sermone invaluit quod semper recurrebat in prædicando Evangelio. Denique unde *civitas* in locum *urbis*

1. D. II, 1, 8, *bigerricam vestem... quinque comparatam argenteis rapit atque ante Martini pedes iratus exponit.* — D. II, 2, 4, *quem jam exanimem vi veneni ipse Euanthius suis humeris illatum ante pedes sancti viri.., exposuit.*

2. I. 8. 2, *Gravis annonæ inopia incesserat.*

3. I, 10, 4, *cujus progeniem in hoc tam præciso opere inserendam non putavi.* I, 19, 3, *inserenda huic tam præciso operi non putavi.* II, 27, 3. *Ne quid forma præcisi operis rerum dignitatibus deminueret.* Cf. Quintil. et Gel. (*De Vit.*).

4. D. III, 2, 7, *proclamat pater... et hanc primam se filiæ audire vocem cunctis stupentibus fatebatur; ib.*. III, 14, 8, *magna voce proclamans.*

5. Notatione quoque digna apud nostrum videntur hæc : *non comparere* (ἀφανίζεσθαι), M., 15, 3, *in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum non comparuit* (Cf. Roensch, *op. cit.*, p. 349): *deprecari* (i. e. detestari), II. 43, 4, *regressis legatis licet vim regiam deprecantibus, negata communio.* Denique innumera sunt loca ubi *defungi* (mori) et *defunctus* (mortuus) usurpantur. Cf. Caroli Halmi verborum atque locutionum indicem.

successit? Primum dici potest verbum « urbs » exilioris fuisse formæ quam ut permaneret. Tum vero cur « *oppidum* » ipsum evanuit? Addendum est igitur fuisse hanc provinciarum consuetudinem ut non *Romam* sed *Urbem* dicerent, nomen pæne sacrosanctum ac rerum capiti reservatum; civitate vero nihil pulchrius nihil optabilius videretur. Itaque, populis omnibus in civitatem susceptis, nullum dignius nomen fuit quod singulis urbibus imponeretur [1].

Plurimum quoque ad hæc omnia illustranda valeret anquirere quid plebeii homines a militibus, quid a classiariis, quid ab artificibus, quid a medicis, quid a jurisconsultis mutuati sint. Atque haud scio an Severus ipse nobis complura exempla suppeditet, qualia sunt : « *audientiam* poscere [2] », et « *dispositio*, id est, imperium, gubernatio [3] », et « *persona* » (frg. *personne*) [4], et « *præ-*

1. De verbo *civitas* pro *urbs* vide luculentissimam E. Wölfflini disputationem : *Ueber die Latinität des Afrikanus Cassius Felix* (Sitzungsberichte der Kön. bayer. Akademie der Wissenschaften, 1880. IV Heft). Nobis satis erit exempla colligere quæ apud Sulpicium invenimus : I, 4, 3. *Nebroth gigantem genuit, a quo Babylon civitas constructa traditur.* II, 34, 4 (crux) *dirutæ civitatis oppressa ruderibus.* Mart. 3, 1, *in porta Ambianiensium civitatis*; *ib.*, 4, 1, *coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem*; 6, 4, *multisque affectum injuriis de civitate exturbavit*; 9, 2, *ad civitatem usque deducitur.*

2. II, 45, 3, *audientiam regis poposcit, ut de fide coram adversariis disceptaret.* Cf. Am. 3, 29, *quam viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Leo M. app. ad opp. tom. 3 tit. p. 410. M. *audientiam rogare.* Speciatim vero apud jurisconsultos usurpatur pro auditione et cognitione causarum quæ fit ab eo qui habet jurisdictionem. Cf. Cod. 2, 13, 1, *inter litigatores audientiam tuam impertiri debebis.* Cf. *ib.* 3, 13, 1; 7, 19, 7.

3. D. I, 18, 2, *Monasterium magnæ dispositionis.* Cf. Gordian., apud Capitol. Gordian., III, 27, *cujus ductu et dispositione et hæc transegimus et cetera transigemus*, Sidon., *ep.* 3, 6, extr.

4. *Persona* cum rarissime eo sensu apud veteres appareat (Cf. Cic., ad Att., VIII, 12, 4), frequentatur a jurisconsultis (Cf. Dirksen s. v.). Exceptis his et duobus aliis (sc. Capit. Ver. 4, 5 et Firm. math. V, 1), omnia quæ collegere potui exempla ex gallicis scriptoribus hausta sunt, quod

sumptio, i. e audacia [1] », et « *substantia*, i. e res familiaris [2] », forsitan et « *postulatio*, i. e. querela vel objurgatio de aliqua re [3] », quæ omnia sunt Jurisconsultorum. Atque inter verba agnosce hæc ex eodem fonte petita : « *deputare*, i. e. assignare [4] » et « *disponere* » pro « statuere [5] ». Denique medicorum est « refectio » pro « prandium [6] »; christianæ religionis « justitia » pro « vitæ integritas [7] ».

mirum sane videbitur. Sulp. Sev. M. 11. 5, *mirum in modum vocem loquentis qui aderant audiebant, personam tamen non videbant*. D. I. 14. 4. *sed non erat incerta suspicio quæ furtum persona fecisset*. D. II, 8. 9, *persona curata est*. — Sidon., *ep*. 2, 2. *ita ut tot possit recipere sella quot solii signa personas*. — 4. 24. *talis persona quæ velit medium relaxare, cum totum possit exigere*. Cf. 5, 17 : 7. 5 : 8, 14 ; 9. 3 et 11. — Salv. Gub. D. III, 84, *si maximum scelus minores videantur agere personæ*. IV. 100, *qui non in quamcumque personam cupiditatis improbæ color traxerit, mentis sequatur insaniam*. — Greg. Tur. h. Fr.. 2, 7, *vidit duas personas se invicem venerabiliter salutantes*; IV. 13. *Collectis vilibus personis... eosdem tantummodo diligebat...* (Cf. C. Paucker, Beiträge, III. p. 658).

1. I, 33, 4. *illicita præsumptione rex ad virem sacerdotis holocaustum obtulit*. (Cf. Lexica).

2. I. 7, 6. *Isaac Sara edito substantiam tradidit* ; *ib*.. 8. 2, *multiplicatusque pecore atque omni substantia*. — *Ib*.. 45, 4, *et ipsi sufficiens vivendi substantia data*.

3. Cum in re forensi *postulatio* sit « petitio deferendi nominis cujuspiam, accusandi gratia » (Cf. Cœl. ad Cic. fam. 8, 6, *inter postulationem et nominis delationem uxor a Dolabella discessit*) mox de ipsa accusatione, querela, dicta est, ut apud Plautum, Cas. 3, 2, 26, *si quid ejus esset, esset mecum postulatio* : Bacch. 3, 3, 45, *acris postulatio hæc est, cum hujus dicta intellego*, et apud Terentium. Hec. 1. 2. 105 *neque lites ullæ inter eas, postulatio numquam*, et apud Sulpicium Severum I. 41, 6, *invisum Deo flagitium postulatio consecuta*.

4. I, 53, 4, *quæ turba exercendis colendisque agris deputata*. Cf. II, 7. 3, M. 7. 6 ; 10, 6 ; E. 2, 10 ; D. III, 14. 6. — Cf. Cod., 1, 4. 3. — Veg. M. 2, 19.

5. D. II, 8, 3, *tacere disposui*. Cf. Ulp. Dig. 43, 29, 3. Jabolen. *ib*., 10; 3. 18.

6. D. I. 14, 1. *ad legitimam horam refectionis*. Cf. D. III, 10, 1. Cf. Cels. 4. 6 fin.

7. I. 2. 5, *ob justitiam translatus a Deo traditur*. Cf. I, 2, 6 ; I, 13, 6. Cf. *justus* I, 3, 1 et 25, 2.

PARS II

DE VOCABULORUM DECLINATIONE AC CONJUGATIONE

§ 1. — De nominum genere.

Genus immutare proprium est indoctorum hominum quibus subtiliora ac difficiliora sordent [1]. Etsi vero Sulpicius elegantior est scriptor quam ut verborum portenta exceperit, tamen temporum vitio indulsisse mihi videtur in verbo *testum* [2] quod genere neutrali pro feminino posuit.

§ 2. — De numero.

Adjectivum *ceterus* in singulari numero collocatum a Cicerone raro usurpatum est, atque masculini nominativus omnino ab omnibus scriptoribus Latinis rejicitur. Quæ cum ita sint, affirmaverim Severum vulgari dicendi

1. Hier., in Ezech. XII ad 40, 5 sqq : Illud autem semel monuisse sufficiat; nosse me *cubitum*. et *cubita* neutrali appellari genere, sed pro simplicitate et facilitate intelligentiæ, *vulgique consuetudine* ponere et genere masculino.

2. Sulp. Sev. II, 2, 5, *sed ferrum atque testum inter se confusum coire non potest*. Cf. Ital. Sirac., 22, 7, *qui conglutinet testa*. — Non., p. 229

genere usum esse, qui scripserit, M. 13, 1. *ceteraque gentilium turba* [1].

Non utique extra culpam est idem Sulpicius, cum « quisque » in plurali numero pro « singuli » ponit [2]; neque enim hujus rei antiquiorem Plinio testem habemus [3] et hoc fuisse sequioris ætatis vitium indicant innumera quæ tum apud Historiæ Augustæ tum apud Ecclesiasticos scriptores exstant exempla [4].

§ 3. — De casibus.

Etsi librariis non Sulpicio hæc adscribenda sunt : *grados* [5], *gressos* [6], *civitatium* [7], *virtutium* [8], adhibuimus tamen, quia docent in vulgari sermone jam confusa esse omnia declinationum genera. Præterea ipse Sulpicius

1. Cf. *Ceterum exercitum* ap. Catonem frg. 77, 4 Pet.; *Cæl. Antip.*, p. 154, 8 Pet.; Sall. Cat. 59, 5, 61, 2. — Curtium 5, 9. 11. — Item *cetera copia, multitudo, classis, acies; cetero vultu, vestitu, apparatu*, Sall. Cat. 43, 3. Nep. Dat., 3, 1. — Curt.. 8, 6. 11. — Sall. Cat. 82: *cetera vita* ap. Sall. Cat. 52, 31, etc Plurima sunt quoque exempla apud Livium ceterosque Augusteæ ætatis scriptores, quos minus sinceræ latinitatis studiosos fuisse constat.

2. II, 26, 5, *Vicina quæque romano imperio adjungere cupiens.* — I, 26, 1, *pessimis quibusque consentientibus.* — D. III, 5, 2, *ut ad singulas quasque virtutes nomina tertium personasque subnectam.*

3. Plin. 33, 3 (16), *annis quibusque sorte regis singulos e subjectis jungere adcurrum solitus.* — Suet. Tib., 8. — Aurel. Vict. caess., 24, 10 : 38. 2.

4. Cf. C. Paucker, Zeitschrift für die österr. Gymn., 1881, p. 483.

5. M. 19, 4 *per confragosos scalæ grados* (Cod. Veronensis sec. VII et priore manu codex Frisingensis).

6. E. 2, 5 *dum altos gressos molior* (Cod. Veronensis).

7. I, 13, 2 *nam et opus durum ædificandarum civitatium* (codex Palatinas). Cf. tamen Varronem L. L. 8, 37, 66 : *quod in patrico casu hoc genus dispariliter dicatur civitatum parentum, et civitatium parentium.* — Cf. Prisc. 7, 16, 77, p. 771.

8. D. 1, 10, 4 : *virtutium vanitate* (Cod. Veronensis). — Cf. Val. Max., 1, 1, 9 cod. Bern. m. pr. — Melam, 2, 3, 6 in Vatic. A : Apul. de mag., 73 p. 549. Paul Nol. Carm., 10, 34 : — Jul. Valer. res gest. Alex. M. 2. 21 (28); itin. Alex., 48 (111). — Neue Formenl, II², p. 269.

plura parum recte admisit. Etenim, ut omittam « *spebus* [1] », quæ forma latinis auribus omnino est inaudita, quid dicam de græcis nominibus quæ de tertia in primam declinationem transtulit, ut semper *Babylona* [2], *Marathona* [3], *mastigia* [4], *Thebaida* [5], *tripetia* [6], scripserit? Quid de « *altarium* [7] »? Quid de accusativo « *conflictum* [8] »? Quid de dativo « *cædem* [9] »? Nonne illa sunt cotidiani sermonis qui minime de grammaticorum præceptis curat?

§ 4. — De comparatione ac supralatione.

Perpauca sunt quæ apud nostrum offendant; hæc tamen notavimus :

Grossior. *D.* I. 21. 4. *vestem respuit grossiorem.*

Infractior. I. 38. 9. *mox annis et morbo infractior.* Cf. II. 44. 3, quod etsi non Georges vir doctissimus lexico recepit, legitur apud Valerium Maximum (5. 10 ext. præf.).

Piissimus. *D. III.* 17. 5. *virtutum piissimus æstimator*, quod superlativum toties a deterioribus frequentatum scriptoribus minime latinum esse M. Tullius judicabat [10].

1. Cf. Paulin. Nol. Carm. 18, 243. — *Sid.*, ep. I, 9 : 3, 6 : 5, 48. — Sulp. Sev. D. III, 10, 3, *omnium spebus intentis non incassa futura tentamina.*
2. I, 5, 3, 4, *convenerat Judæos ad Babylonam pertinere.* I, 53, 6, *Is cum populo Babylonam translatus.* — Cf. I, 54, 5. — II, 1, 2 : 5, 6 : 17, 2.
3. II, 9, 7, *apud Marathonam pugnavit.* Cf. Neue, *op. cit.*, I², 325.
4. D. II, 3, 6, *consumit gallicas mularum pœna mastigias.*
5. D. I, 23, 6 *hic* (liber) *Ægyptum Nitriam Thebaidam ac tota Memphitica regna transivit.*
6. Vel ut Carolo Halm placuit *tripeccia* ex Veronensi codice. D. II, 1, 4, *in sellula rusticana ut sunt istæ in usibus servulorum, quos nos... tripeccias... vos tripodas nuncupatis.*
7. I, 10, 3, *ibique altarium Deo statuit.* I, 19, 1. Cf. D. II, 2, 1, *cum jam altarium benediceret.* Cf. Neue, *ib.*, I², 556.
8. II, 21, 2, *in conflictum descenderat*, quod ab optimorum scriptorum usu abhorret.
9. II, 13, 9, cædem cruci affigitur (codex Vatic.).
10. Cic., Phil. XIII, 19, 43.

Cum in adverbiis *supra, infra, extra, ante, post* insit comparativi notio, necesse est formæ *superius, inferius, exterius, anterius* circumfluentes esse videantur. Neque enim optimi sunt hujus usus auctores [1], quibus annumerandus est Severus : I. 52. 3. *vasa omnia, anteriorum regum superstitionibus idolis consecrata* [2]. Nota sunt præterea monstra illa temporibus labentis Romanæ linguæ prognata, qualia sunt « postremissimus, minimissimus. »

§ 5. — De conjugatione.

De verbis vero nihil habeo quod dicam nisi Carolo Halm sit assentiendum qui scribendum censet *nanctus* non *nactus* ex auctoritate Veronensis codicis [3]. Quamvis enim Priscianus doceat *nanciscor* facere *nactum* sine *n* littera [4], tamen recentissimis interpretibus placuit sæpius *n* servare, cum fere semper in optimis vetustissimisque occurrat codicibus [5].

Restat ut moneam *educere* verbum, mutata conjugatione, idem valere quod *educare* hoc loco II. 12. 5. *hæc*

1. Cf. Phæd., 4, 25. 2, *dixi superius*, et Gaium, I. 87, 126. 3. 194. 197: 4, 69. — *Inferius* apud Vitruvium (9, 8, 2) et apud Solinum 2. med. legitur; *anterius* apud Tertullianum, Symmachum, Ammianum, etc. — Cf. Albr. Kœhler, *op. cit.*, p. 410 sq.

2. Cf. Symm., ep. 6, 59: — Hier., ep. 124, 3: Aug., ep. 82. 34 et cette eccl.

3. D. III. 18, 4. *nanctus litore sepulturam* (codex Veron. sec. VII) : *nactus* vero in cod. Augustano (sec. XI), in cod. Frisingensi (sec. X) et in vulgata editione.

4. Priscian., 10. 4, 21 et 22. p. 888 : « Deponentia in scor desinentia in antepænultima quidem syllaba a vel i correptas habentia, in ctum faciunt supinum..... Nanciscor etiam nactum facit absque *n*, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet. »

5. Vide omnia quæ attulit exempla Fredericus Neue. (*op. cit.*. II² 580): Cf. etiam Wagnerum : *Orthogr. Verg.* s. v. *nanctus*.

(Esther) *Judæa ex tribu Benjamin, utroque parente orba, a Mardochæo patrueli fratre educta.* Quod sermoni cotidiano tribuendum censeo [1].

1. Cf. enim Ter. Andr. I, 5, 39; V, 4, 8. Heaut. I, 3, 14. Ad. V, 2, 21. — Tac., Ann. I, 4 et 41. — VI, 15. — Colum. III, 10, 16. — Dig., XXIV, 1, 2. 1, 28, 1.

Cf. Roensch, *op. cit.*, p. 361.

PARS III

DE SYNTAXI

CAPUT I

DE CASIBUS AC PRÆPOSITIONIBUS

Cum quid sit Romanicarum linguarum proprium ex eo inter cetera dignoscatur quod nominum casibus nihil certioris jam significantibus præpositiones subrogantur, totum mihi in eo videtur esse ut diligenter investigemus num eo quoque inclinaverit vulgaris Romanorum lingua. Non tamen obliviscendum est in ea casus neque statim neque omnino periisse; ideoque de casibus dicendum est, quomodo in cotidiano sermone se habuerint.

1° De casu accusativo.

Accusativum ex transitivis verbis proprie pendere nos docet grammatica. Quemadmodum vero ea est sermonis natura, ut nullam mutationem numquam habeat, sed alia tollat, allia fingat, ita eandem in transitivis rationem adhibitam fuisse constat. Nihil igitur mirum, si vel apud bonos scriptores cum accusativo occurrunt nonnulla verba quæ prius cum alio casu videbantur constructa. Nihil mirum utique, si in vulgari sermone accusativum requi-

runt verba *abuti*, *carere*, *egere*, *uti*, *resci*, *suadere*, etc. [1], præterquam quod idem ille sermo, adductis in comparationem Romanicis linguis, eo magis atque magis delabi videbatur, ut e sex casibus ad unum accusativum nomina redigeret. Quæ cum ita sint, Sulpicius mihi videtur nonnumquam in adhibendo accusativo casu, a politi sermonis consuetudine discessisse :

Omitto quidem *abstinere* cum accusativo *personæ* conjunctum, quod non a sollemni verborum constructione abhorret idem significantium, exempli causa *prohibere*, *deterrere*, etc. [2].

Sed *benedicere* cum accusativo (I. 8. 3. *cum Esau filium benedicere pararet;* ib. 40. 3. *dictaque oratione qua populum templumque benedixit*. M. 16. 4 : *Rogo ut eam adeas atque benedicas;* Cf. I. 4. 1 ; 5, 6 ; M. 16. 7), vulgaris fuisse sermonis testantur tum luculenta exempla ab Hermanno Roensch [3] allata, tum linguarum Romanicarum usus.

Item verbum *credere* cum accusativo *personæ* : M. 174, *omnes fere Jesum Dominum crediderunt*. M. 17. 4 : *quo viso Tætradius Dominum Jesum credidit*, quem usum Romanicæ linguæ servaverunt [4].

Quod attinet ad verbum *fungi*, quod semper in locu-

1. Cf. Roensch, p. 414 sq.

2. 1, 48, 5. *quin et recens nati cibo potuque abstinentur*. — Legitur apud Livium « milites abstinere vino » et similia. Non tamen dissimulandum est hanc verbi constructionem præsertim in medicorum libris invaluisse : Cf. Celsum (Georges) et Cassium Felicem, Africanum (ed. Valent., Rose Teubner. 1879), 66. p. 162. l. 17. (*ægrotum, a vino... abstinebis*, 18, p. 27, l. 7, *pridie chirurgia curandum a cena et vino abstinebis*. — Cf. 67, p. 164. l. 20.

3. *Ital. u. Vulg.*, p. 440.

4. Sua enim lingua Itali « credere un Dio », Provinciæ incolæ « creire Dieu », majores nostri « croire Jhesu-Christ » dixerunt. — Cf. etiam « creez vous cel glouton » et « croyez-vous cet homme? »

tione *diem fungi* cum accusativo Sulpicius ponit [1], eidem dicendi cotidiano generi tribuendum esse censet Hermannus Roensch [2], nec repugnandum esse arbitramur, qui comicorum morem eum esse agnoscamus ut *fungi* cum accusativo jungant. Secuti autem sunt præter Tacitum, Nepos et Suetonius et Justinus, quos optimæ latinitatis vindices esse nemo contendet.

Huic confinis, si non eadem est, constructio qua utitur Sulpicius, I. 45. 2. *isque duodecim annis imperium potitus est*. I. 46. 4. *victoriam potitus* [3]. Verbum enim *potior* cum accusativo, etsi nonnulli Ciceronis codices afferunt [4], tamen plerisque interpretibus expungere placuit, qui animadverterunt accusativum non nisi apud priscos scriptores, aut apud comicos, aut apud belli Africani auctorem, aut apud Justinum inveniri [5].

Haud scio an *nescire* cum accusativo inauditum sit optimis scriptoribus, cum exempla Lexicis allata, vel e comicis vel poetis sumpta sint [6]. Adde quæ sunt Sulpicii : D. I. 17. 3. *nuditatem suam divino munere nesciebat*. D. I. 26. 3, *soli illum clerici, soli nesciunt sacerdotes*. D. II. 4. 5. *sæpius ingemiscens cur tanta Dominum Salvatorem turba nesciret*.

Item *participare* cum accusativo rei non adhibuerunt

1. I, 40, 4, *Joachas diem functus*. Cf. II, 26, 3 : I, 7, 7 ; I, 36, 1 ; I, 49, 5 ; I, 33, 1.

2. *Ital. u. Vul.*, 415 sq.

3. Sic enim Carolus Halm ; legitur autem in Vulgata editione : *Victoriaque potitus* ; *victoriam potitus* Veronensis codex.

4. Tusc. I, 37, Si... *quidem aliquam urbem nostram potituram putem* ; ubi Seyffert : « *urbe* scripsi contra optimos libros » Cf. tamen Cæsarem « potiundorum castrorum spes », et Livium « ad potiunda sperata ». (Georges.)

5. Cf. Roensch, *op. cit.*, p. 413.

6. Cf. Georges Lexic. s. v. : *nescire alqm*, Plaut. ; *deos*, Ter. : *vinum*, Juven. ; *hiemem*, Verg. ; *sua pericula*, Lucan.

nisi Apuleius aut Jurisconsulti. Sic Severus : D. II. 7. 4. *nec ausa participare convivium.* Idem vero ille scriptor ablativo nonnumquam usus est : I. 53. 6. *in amicitiam receptus mensaque et consiliis participatus.* II. 1. 3. *ne ex mensa regis gentilium cibis participaret.* Quam constructionem, cum apud Paulinum Nolanum quoque inveniatur [1], non inauditam esse priscis Romæ scriptoribus demonstrant Plauti exempla.

Denique Sulpicius semel *transnavigare* cum accusativo posuit : D. I. 1. 3, *propter quem tot maria transnavigavimus*, verbum, ut videtur, rarissimum [2].

Quod ad *accusativum græcum* qui vocatur attinet sæpissime a poetis Vergilio, Ovidio, Horatio ceterisque frequentatum, notandum est apud Belli Africani auctorem occurrere [3], qui quantum sermoni vulgari indulserit supervacaneum est dicere. Itaque, ut Apulejum omittam, qui, etsi huic usui usque ad tædium concessit, poetas, ut videtur, imitatus est, haud procul ego absum quin Albr. Kœhlero assentiar ita disserenti [4] : « Qui usus quamquam in linguas romanicas non transiit [5], tamen, quia apud ecclesiasticos quoque scriptores et in Vulgata [6], quo in scriptorum genere de poetarum imitandorum studio cogitari non potest, multa exempla exstant, ego non gravabor si quis propter cotidianæ vitæ consuetudinem cum Græcis Romæ institutam etiam de plebe ho-

1. Cf. Georges Lexic. s. v. : *participatus honore*, Paul. Nol.
2. Mela, 2, 2, 10 (2, n° 32) Parthey : *a Xerxe perfossus transnavigatusque est Athos.*
3. B. Afr. 78, 10, *Pacidius graviter pilo per cassidem caput ictus.* — 85. 8, *brachium gladio percussus.*
4. Albr. Kœhler. *Auct. belli Afr. et Hisp. Latinitas.* p. 430.
5. Cf. Diez, III³, 123.
6. Cf. Roensch. *It.*, p. 437.

mines illum in sermonem latinum induxisse censebit. » Sunt autem hæc Severi : D. II. 3. 9, *pulvere quo se ipsi fœdaverant, caput atque ora conspersi*. M. 19. 3, *cum oculum graviter dolere cœpisset*[1].

Semel contra vulgatam grammaticorum legem in loco significando præpositionem omisit noster, I. 5. 3 : *mox annonæ inopia Ægyptum concessit*. Quamvis præpositio absit semel apud Ciceronem[2] et apud Cæsarem[3] tamen usus iste in primis apud comicos[4] et apud deteriores scriptores[5] invaluit.

2° De casu dativo.

Vereor equidem ne mirum videatur plebeium sermonem, qui casus non simplices sed cum præpositionibus junctos ponere fere semper maluerit, in simplici *dativo* interdum acquiescere, et ita acquiescere ut locum, in quem actio dirigitur, eo exprimat. Sic tamen apud Sulpicium Severum : *II. 45. 2. optimis sacerdotibus aut metu territis aut exilio deductis. D. III. 12. 4. Mox percussores his, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. I. 27. 3. ardentes lampadas earum illigavit caudis atque eas agris hostium immisit*. Rem eo mirabiliorem dico quod in ejusmodi exemplis boni scriptores, poetis omissis, præpositione utuntur. Hoc vero plebeio sermoni jure adjudicatum esse testantur tum ea quæ Albr. Kœhler ab Hispaniensis belli auctore sumpsit[6], tum ea

1. Notandum est *erudiri* construi ut *doceri* : E. 1, 7, *ut... erudiretur naufragiorum casus*.
2. Nat. Deor., 3, 21, *Ægyptum proficisci*.
3. Cæs. B. Civ., 3, 106.
4. Cf. Holtze, Syntaxis priscorum scriptorum Latinorum, I, 194.
5. Cf. Petron. c. 48. *Africam ire*.
6. B. Hisp. 16, 4. *oppido represserunt*. — 24, 4, *planicie* (id est planiciei)

quæ apud Apulejum [1] et apud Commodianum [2] occurrunt. Etsi autem Draeger vir doctissimus [3] nullum e priscis Romanorum scriptoribus exemplum protulit, tamen ego crediderim hunc esse usum priscæ latinitatis proprium, receptum a poetis et in cotidiano sermone diligenter servatum. Nihil enim obscuritatis omissa præpositio afferebat.

Pauca sunt præterea verba cum dativo juncta quæ in usu fuisse cotidianæ vitæ jure suspicari possimus, qualia sunt : *acquiescere* (gall. *acquiescer aux volontés d'autrui*)[5]. I. 41. 4, *appetitum sæpius nec acquiescentem sibi*

dejicere. — 38, 6, *munitiones jugo dirigere*. — Sed id quod ex bell. Hisp. c. 40, 1, laudat : *se recipere castello*, multo melius defendi potest : etenim *castello* non dativum, sed ablativum esse existimo, quod loquendi genus sæpissime ab optimis scriptoribus usurpatur (e. c. *recipere alqm tecto, mœnibus*) cum verbo *recipere*. Cur pari ratione *te recipere* cum ablativo non occurreret?

1. Cf. Met. 4, 16, *navalibus suis ire*. — 5, 2. *cubiculo te refer*. — 3. 27, *concedere angulo*, etc.

2. Cf. Instruct. 1, 34, 10. *Levia vos corda perducunt pœnali barathro*. 1. 35, 20. *Vertite vos Christo*.

3. Hist. synt. der lat. Sprache, § 188.

4. Notum est casus vel in Romanicis linguis non modo non omnino abolitos et extinctos esse, sed etiam, accedente nulla præpositione, nonnumquam inveniri. Sic casus, quem vocamus accusativum, eoque ceteros casus obliquos comprehendimus, a majoribus nostris sine ulla præpositione vel pro dativo vel pro genetivo positus est, quotiescumque nulla fuit causa cur sententia obscura fieret. Notanda enim hæc dativi exempla :

Les Rois, 200 : *colper le chief Siba* (à Siba).
Sax., 1, 28 : *la bele que j'avoie promise Berart* (-à Bérart).
T. Cant. p. 70 : *une epistle enveia S. Thomas* (à S. Thomas).
Coucy, 1692 : *cils a donné le chastelain un cop* (- au châtelain).

Cf. cett. apud Diezium (III. p. 116. in gall. ling. a G. Paris et Morel Fatio vers.).

Adde vero hæc genetivi, *le fils Odon, la volonté le rei, par le Charlon comant*. — Cf. *de part le roi, ad ops* (opus) *saint Père*. et ea quæ remanserunt : *Féte-Dieu, Hôtel-Dieu, église Saint-Pierre*. (Diez, III, p 128.)

5. Cf. Suet., *Tib.*, 56; *Cal.*, 51; *Vit.*, 14; *Tit.*, 7. — Cf. etiam jurisconsultos (Georges) et ecclesiasticos scriptores (Tert., de pall., 1. — Cyprian., 558, 13 Hart. — Hier., *in Luc. h.* 31. — *Adv. Vigil.*, 3. — *In*

falso scelere infamat. I. 39. 4. *cumque una earum judicio acquievisset.* II. 1. 5, *cum impudicis non acquievisset* (Susanna); et *renuntiare* (gall. *renoncer au barreau*). M. 3. 5 : *nec tamen statim militiæ renuntiavit* [1].

Quid de verbo « damnari » cum dativo dicam equidem nescio. II. 51. 4, *damnatique Asaricus et Aurelius diaconus gladio.* Sed notandum de hoc dicendi genere unum Apuleium cum nostro consentire [2]. Semper enim apud jurisconsultos « damnare » verbum cum præpositionibus *ad* vel *in* struitur [3]. Forsitan igitur hoc quoque plebeium sit.

3° De casu genetivo.

At exploratius de quodam *genetivi* usu dicere possumus. Legentibus enim apud Severum I. 43, 4 : *Saraptæ oppidum petiit*, constructionem hanc cotidiano sermoni adjudicandam esse nobis probat præter locos ab Albr. Kœhlero laudatos [4] linguarum Romanicarum usus [5].

Neque aliter de iis locis mihi videtur esse dicendum in quibus genetivus significat quot annos is natus sit de

Eccl., 2. p. 396. — *Adv. Jov.* II, 36. — *In Jer.*, V, *ad.*. 28, 15 sqq. — *Ep.*, 84, 7. etc. — *Aug.*, c. D. 1. 20, 10, 29, 11, 13).

1. Cf Beaum. XI, 4, 3 : *Neporquant, s'il n'est ainsi, ne renonce il pas au privilege de clerc* .. Girard de Ross, v. 2217 :

> *Li hermites li dist...*
> *« Gerars, renonce as armes et a chevalerie*
> *Jusque ta penitence a sept ans soit faie. »*
> *Gerars, de tres bon cuer, en plorant, y renonce.*

2. Cf. Apul. met. 10, 34, *bestiis esse damnatum.*

3. Cf. Georges, s. v. inter cetera hæc notavi : Icti, *in opus vel in ludum, in opus publicum vel ad bestias damnare — damnari in metallum.* Hadr. imp. ap. Ulp. Dig. 47. 14, 1 pr. *damnari ad gladium.*

4. Cf. b. Afr. 36. 2, *ex oppido Thisdræ.* — 58, 3, *in oppido Uzittæ.* — 87. 1, *ad oppidum Paradæ.* — 91. 3, *in oppido Zamæ.*

5. Dicunt enim genetivo posito Francogalli : « *la ville de Paris* », Itali : « *citta di Napoli* ». Hispani : *ciudad de Madrid.*

quo mentio habetur. I. 6. 3, *cum ipse esset annorum centum;* I. 11. 9, *erat annorum triginta;* M. 2. 3, *cum esset annorum decem* (Cf. M. 2. 4; 5; 3. 5). Ex iis enim quæ leguntur in sepulcris incisa apparent hunc cotidianum esse sermonem a quo boni scriptores recesserunt, retinuerunt contra Justinus et Eutropius Cornelium Nepotem secuti [1]. Dicimus nos : *un enfant de sept ans.*

Insolentiora porro sunt ac pæne barbara quæ sequuntur : E 3. 11, *totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat.* I. 35. 3, *cum spiritus erroris Saul affligeretur.* D. I. 23. 1, *a beato viro Joanne verbum salutis accepit.* D. III. 5. 4, *præ furore rotabat verba peccati.* Hæc vero atque his similia etsi ex Hebræorum lingua in Latinam per ecclesiasticos scriptores defluxerunt, non tamen Romanis erant inaudita; namque jam Apuleius [2], deinde Symmachus [3] in eodem sermonis vitio acquiescunt, cum, repugnantibus optimis scriptoribus, simplicem genetivum ponere non dubitent ad significandum quale sit id de quo sermo est. Secutæ sunt autem Romanicæ linguæ et imprimis nostra : *une parole de pitié, une œuvre de valeur, un homme de talent,* etc.

Restat ut pauca dicamus de genetivo cum quibusdam adjectivis insolentius juncto. Legimus enim apud Severum :

Dignus. *M.* 9. 3. *Martinum episcopatus esse dignissimum.* Cf. M. pr. 1. *omniumque reprehensionis dignissimus judicarer.*

Liber. *I,* 4. 1. *mandati illius liber.*

Degener. *I.* 2. 7. *naturæ suæ originisque degener.*

1. Cf. Cornel. Nepotem, Cat. 1. *Cato primum stipendium meruit annorum decem septemque.*
2. Apol. 75, *homo justus et morum.*
3. Symm. 1, 72, *homo litterarum.*

PROMPTUS. *II. 46. 3. multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus.*

INSTRUCTUS. *II. 42. 3. vir divinarum rerum instructissimus.*

INVIDUS. *M. 27. 3. nonnullos experti sumus invidos virtutis vitæque. D. III. 17. 5. ille Martini non invidus gloriarum.*

Cum præsertim apud poetas talia occurrant, sunt qui a Græcis adscita esse credant : ego potius plebeio sermoni tribuerim. Vereor enim ne temere de græcorum imitatione statuant grammatici, si quid in latino sermone deprehenderint, quod nihil aut non fere multum a græco differat. Melius sit forsitan videre ut latina latinis illustremus, quoad fieri potest. Neque enim commodata sunt omnia quæ similia. Quid porro mirum utrique linguæ quædam esse communia, cum utraque ex eodem fonte ducta sit?

Consideremus igitur adjectiva supra allata : *Dignus* [1] et *liber* [2] jam apud priscos scriptores et apud poetas, *degener* [3] apud poetas tantum, *promptus* [4] non nisi apud deteriores scriptores, *instructus* denique et *invidus* apud Severum solum cum genetivo exstant. Optimi vero scriptores ablativum ponunt. Quæ cum ita sint, difficile est credere illum genetivi usum, qui inde a priscis Latinæ linguæ temporibus usque permanserit a Græcis assumptum esse. Aliena enim non ita se penitus figunt ut nunquam possint evelli. Ex quo potest probabiliter

1. Cf. Plaut. Trin. 1153, *salutis dignus*, teste Non. p. 339, cum tamen in Plauti codicibus *salute* sit : — Balb. ap. Cic. epp. — Vergilium aliosque poetas (Georges).

2. Cf. Plaut., *liber rerum*. Verg., *liber fati*. Hor., *liber laborum* (Georges).

3. Cf. Ovid., Met. II, 315, *patriæ non degener artis*. Stat. Theb., IX. 619 ; XII, 287.

4. Cf. Justin., *parcendi promptior*, Gell., *Plato veritatis homo amicissimus ejusque omnibus adhibendæ promptissimus*.

confici hoc fuisse cotidiani sermonis proprium, ut ablativi loco genetivum casum nonnumquam poneret cui non ita certis legibus casuum munera constituta esse viderentur; poetas vero non a Græcis sed a latino sermone cotidiano hoc dicendi genus mutuatos esse.

4º De casu ablativo.

De *ablativo* nihil habeo quod plebeio sermoni jure assignare possim [1].

5º De præpositionibus.

Venimus ad præpositiones de quibus jam supra diximus. Nobis igitur est anquirendum quæ apud Severum præpositiones abundantes dici possint, deinde num aliæ aliis commutentur : quæ omnia cotidiani sermonis fuisse constat.

Ac primum præpositio *ab* nomini urbis semel additur : II. 18. 6, *Antiochus rediens ab Alexandria*, quod grammatici vitiosum esse docent [2]. Nec me fallit aliud esse *venire Alexandria*, aliud *ab Alexandria;* omissa præpositione significari locum interiorem, addita exteriorem, ut *ab Alexandria* sit *a locis Alexandriæ vicinis*. Sed, ut

1. Eam tamen abusionem, qua ablativus pro accusativo in tempore significando usurpatur Reblingius (*Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache*) vulgaris esse linguæ censet, nonnullis e C. I. L allatis exemplis II, 88, 89 *vixit annis LXXXV*. — 525, *qui vixit anno men. X* ; Cf. 1127, 1157, etc., Ut ea omittam quæ sescenties apud Augusteæ ætatis scriptores occurrunt, sufficiat dicere recentissimos in istiusmodi usu acquievisse, e. c. Sulp. Sev. D. 1, 5. 2, *Septem enim diebus apud ipsum fuimus, ib.*, 9, 4. *Apud Hieronymum sex mensibus fui.* — Cf. Hier., reg. Pach. 49, *manebit paucis diebus*, in Is. III ad 6. 1, *regnavit annis XVI;* Paulin. v. Amb. 27, *ubi cum aliquantis degeret diebus*, etc.

2. Cf. Charis. Instit. gr. 2 p. 207 P. *has præpositiones nonnullis visum est non debere propriis nominibus præponi, sed sic Antiochia venit, venit Roma.* Cf. Quint. 1, 5, 38.

aliquando id verum esse agnoscimus, ita sæpe aliter esse satis ostendunt tum veterum exempla quæ Handius[1] adduxit, tum Severi locus quem modo notavimus. Neque enim loci proximitatem, sed ipsam urbem significare voluit noster, cum Alexandriam rex Antiochus adierit, ut Aegyptiorum regem « *jussu senatus et populi Romani deponeret*[2] ». Notum est præterea id quod de Augusto Suetonius[3] tradit, eum perspicuitatis causa præpositiones addere solere.

Non aliter igitur de præpositione *ad* cum nominibus urbium conjuncta sentiemus, etsi satis notum est præpositione non ingressum in urbem sed accessum ad urbis regionem interdum exprimi. Namque Severus, cum dixit : D. I. 9. 6, *regressus ad Alexandriam, visitatis ibi fratribus, ad superiorem inde Thebaidem..... contendi*, ipsam urbem declaravit[4]. Hæc omnia cotidiani fuisse sermonis censeo, non modo quia constat optimos scriptores sibi hanc legem statuisse ut *præpositiones gentibus seu nationibus adderent, civitatibus adimerent et detraherent*[5], sed quod insigne est Sulpicium ita diligenter ab hoc vitio abstinuisse, ut duobus tantum locis præpositionem cum urbis nomine conjungeret.

Abundat quoque præpositio cum iis verbis juncta, quæ cum simplici casu struere rectius est. Unum autem exstat apud Severum exemplum in quo quam dilucidissime cernitur quomodo dativus casus præpositione compensatus sit. Cum enim jam supra invenerimus « *ac-*

1. Tursell. I, p. 10.
2. Sulp. Sev. II. 18, 6.
3. Suet., Aug., c. 86.
4. Cf. Sulp. Sev. I. 44, 5, *Syrus in Samariam regressus*.
5. Cf. Charis. p. 206 P.

quiescere » cum dativo pro « *acquiescere in* » cum ablativo, scripsit Sulpicius II. 15. 4, *neque ad deditionem acquiescentibus animis*, quod valde Francogallis probatum (*acquiescer à ces conditions*) plebi non insolens fuisse existimo.

Mirum quoque videri potest verbum *perpetuare* cum præpositione *ad* construi hoc loco. M. 1. 4 : *Si quidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt*, de quo dicendi genere nihil in Lexicis invenire potui. Item de verbo *scribere*, M. 2. 5 : *cum edictum esset a regibus ut veteranorum filii ad militiam scriberentur*. Sed in his non contendere ausim abundantiam dicendi quandam inesse [1].

Abundans vero ac plebeium est *in* ablativo instrumenti adjectum D. I. 10. 4, *discerent potius Deo in humilitate servire non in signis et virtutibus gloriari* [2], vel cum verbo *confidere* junctum. M. 13. 4, *tum ille intrepide confisus in Domino*, M. 13. 8, *at ille confisus in Domino*, quæ constructio nostræ Gallorum linguæ propria est [3].

Atque ad vulgarem quoque dicendi modum referenda sunt ea, quibus rerum genus definitur, quo quid constat, I. 18. 4 : *Si servum taurus occiderit, in triginta drachmis pecunia domino numerabitur*. atque ea.

1. Notandum sit forsitan præpositionem *ad* cum verbis loquendi et orandi sæpissine a Sulpicio esse positam, I. 14, 2, *statimque ad eum... Deus locutus est* M. 6, 2, *ait ad eum*. II, 11, 2, *lacrimis orasse ad Deum traditur*. Cf. M. 11. 4, *precabatur ad Dominum*.

2. Ad comparationem possunt afferri ea quæ apud Commodianum leguntur. Instruct., 2, 23, 19. *in esca perit avis*. — 2. 1. 46. *in variis pœnis cruciabit sibi credendos*; 2, 15, 2, *in tuba*. — 2. 18, 20. *in dando* Cf. 2, 18. 24 ; 2, 2, 9 : 2, 14. 11.

3. Cf. verbum *fier* Ch. Rol. XLIII *et Olivier en qui il faut se fier*. Quesnes, Romancero. p. 109 : *Dame, fait-il, ce vous puet moult grever, que vous fiés en votre seigneurage*.

in quibus præpositio *in* cum accusativo juncta indicat quo consilio quid agatur. I. 45. 5 : *in regem decem tribuum unctus fuerat*, quod dicendi genus mirum est quantum apud recentiores scriptores increbruerit[1].

Nonnulla denique sunt, in quibus præpositionem *per* abundanter adhibitam esse reprehenderis. I. 13. 7. *per diabolum exutus bonis*; *ib.* 16. 6 : *tum per Moysen populus admonetur*. M. 22 4 : *per misericordiam Domini absolvendos esse peccatis, qui peccare desierint*. D. 1. 11. 3. *admonitus abbas ille per spiritum*. Etenim mihi pro ablativo casu præpositio posita videtur, cujus locum gallicum nostrum « *par* » obtinet.

Hactenus de præpositionum abundantia. Nunc qua ratione aliæ aliis commutatæ sint dicendum.

Cum præpositionis *absque* usus non omnino frequens sit apud aureos Latinæ linguæ scriptores, frequentior tamen sit apud comicos[2] et apud seriores, inde colligi potest *absque* vulgi tantum in ore fuisse. Quod attinet ad significationem, exceptis comicorum locis *absque te esset*, *absque eo esset*, in quibus idem inest sensus qui in formulis *si tu non esses*, *nisi hoc fuisset*[3], *absque*, recentioribus temporibus, pro *præter* vel *extra*[4], mox pro

1. Cf. Justin., XII, 13, 10. — Hier., in Eccl. I. p. 387 Vall.; in. Is. I ad. 1, 4, *eos adoptavi in filios*; ep. 14, 9, *David pastor eligitur in regem*, etc.

2. Nemo comicorum usurpavit hanc præpositionem, nisi in formula *absque te*, *absque eo esset*. Cf. Plaut. Menechm., 5. 7, 33. — Bacch., 3, 3, 8; Trin. 3, 2, 3, etc.

3. De quibus vide Handium (Tursell., I, p. 69 sq.).

4. Cf. Gell., 2, 2. *Invitavit Taurus patrem præsidis, ut sederet. Atque ille ait : sedeat hic potius, qui populi Romani magistratus est. Absque præjudicio, inquit Taurus, tu interea sede dum inspicimus quærimusque, utrum conveniat, tene potius sedere, qui pater es, an filium, qui magistratus est* i. e. cohibito judicio. — Cod. Justinian., 10. 72. 1. *ideoque censemus, ne quis absque præcepto viri illustris comitis sacrarum largitionum vel coquendum aurum sumat vel capiat deinceps retinendum*, etc.

sine magis atque magis dictum videtur [1], veluti apud nostrum : I. 22. 5. *cæsique omnes absque ullius effugio;* 54. 7. *absque ullo insigni regio;* II. 15. 7. *si præsenti tempore absque peccato sint;* 44. 4, *absque exilii indulgentia;* M. 7. 2. *absque baptismate;* 14. 4. *non absque injuria;* E. 1. 7. *absque divino consilio.* Atque ceteri Galliæ illis temporibus scriptores in præpositionis *absque* usu consentiunt [2], ita ut *sine* pæne abolitum esse videatur. Quare non possumus non mirari, quod nulla præpositio *absque* in majorum nostrorum lingua permansit. Quod quo casu acciderit nescio. Idem vero in Hispanorum et Italorum lingua factum esse animadverto, quamvis uterque populus eodem tempore quo Gallicus in præpositione illa adhibenda sibi indulserit [3]. Sola au-

1. Apul. met., 9, p. 228, 32, *ni respecto communi periculo, vir eum ab impetu furioso cohibuissem, asseverans brevi, absque noxa nostri, suapte inimicum ejus violentia sulphuris periturum.* — Symm., *ep.* 2, 59, *si quid absque te dulce est.* — Cf. *ep.* 5, 31.

2. Cf. Sidon., *ep.* II. 7, V, 6, VII, 3, IX, 12. — Greg., h. Franc. III, 37; IV, 9, 24; V, 17, 21; VI, 22. VII, 1, XXII, 9, 20, 31. — Fredeg. prol. 78. *ep.* 91, 113.

Neque omittemus Salvianum qui, cum prius dubitaverit utrum *sine* an *absque* usurparet (Cf. I, 3, 15, *sine dubio*, — I, 3, 20, *absque dubio*), mox in usu *absque* acquiescit, veluti. I, 5, 24; 7, 34; 8. 37; etc.

Conferenti etiam omnia quæ a viro diligentissimo Pardessus (Parisiis, 1843) collecta sunt (*Diplomata, chartæ, epistolæ, leges*), quam late patuerit *absque* præpositionis in Gallia usus apparebit : n° 49 (ann. 475), *absque servitute;* n° 64 (ann. 499), *absque ullius contradictione;* n° 87 (ann. 510), *absque tributis;* n° 249 (ann. 628), *absque dubio;* n° 304 (ann. 642), *absque prohibitione;* n° 312 (ann. 648), *absque opere;* n° 501 (an. 716), *absque mora;* n° 512 (an. 720), *absque ullo præmio;* n° 599 (an. 748), *absque dispendio.* Vide cetera in luculentissima E. Wölfflini disputatione : *Ueber die Aufgaben der lateinischen Lexikographie* (Rheinisches Museum, XXXVII, p. 83).

3. Cf. Hispanum Orosium, I, 2 (ter); II, 3; III, 8; V, 22, 24 (bis); VI, 15, 190; VII, 1, 26, 35, 36, 40. — In Italia vero Symmachum, *ep.* II, 36, 59; IV, 53, V, 31, VI, 37. — et Chron. Salernit. (Mon. Germ. III, 470 sq), 5, 80 absque armis; Cf. 92, 123, 131, 134, et Andr. Bergam. cap. I, 5: 14. 16 : (Mon. Germ. III) et Ryccardum de S. Germano, chron. ad an. 1190, 1192, 1197, etc.

tem Longobardorum præpositio *asca* non omnino in linguis Romanicis præpositionem *absque* evanuisse testatur [1].

Jam post Augusti tempora scriptoribus [2] usitatum est præpositionem *ad* ponere, ubi una cum aliqua re aut ea jam perfecta aliquid quod cohæret, fieri vel esse dicitur [3]. Hæc igitur apud Severum nostrum notavimus : M. 23. 6. *ad mediam fere noctem fremitu terram insultantium commoveri omne monasterium loco visum est;* ib. ib. *tum vero grandis omnium ad hanc professionem exspectatio; ib.* 24. 7. *ad hæc cum Martinus taceret...* ib. 8. *ad hanc ille vocem statim ut fumus evanuit.* D. II. 9. 6. *continuo ad primum sermonis imperium constiterunt*. Quem loquendi morem, quoniam ab optimis scriptoribus alienus videtur, e plebeio semone ductum ac repetitum esse existimaverim. Adde quod omni tempore præpositionem *à* nostra lingua eodem modo adhibuit [4].

1. Cf. Diezium. Wört, II³. 5.

2. Cf. Suet., Dom. 7, *ad summam quondam ubertaten vini frumenti vero inopiam existimans nimio vinearum studio negligi arva edixit ne quis in Italia novellaret.* — Frontin., I, 5. 16, *ad novitatem rei laxatis ordinibus barbari in spectaculum usque resoluti sunt.* Scribon. Com. med. 122, *metuere nihilominus debent, ne alia parte corporis æque afficiantur ad intemperantiam coli, antequam remediati erunt.* Id., ib., 120, *quovis loco duritia fuerit quæ ad omne medicamentum exasperatur*, etc.

Notæ sunt præterea formulæ dicendi *ad lucernam, ad lumina,* apud nos *à la lumière, aux flambeaux*, etc. Ovid. Met. 4, 219, *inter bis sex Leucotheen famulas ad lumina cernit.* Suet. Cæs. 37, *adscenditque Capitolium ad lumina.* Florus, 4, 2, 71, *lecto ad lucernam Platonis libro*, etc.

3. Cf. Handium (Tursell., p. 96, sq.)

4. Innumera sunt quæ notari possint : sufficiat hæc tantum afferre ex antiquis scriptoribus nostris sumpta; Ronc., p. 57 : *A ces paroles font les grailles sonner; ib.*, p. 93, *au duel qu'il ot, li cuens cheït pasmé; ib.*, p. 93 : *A icest mot l'a Roland coneü; ib.*, p. 173 : *A ces paroles li saint anges descent.* — Couci XXI :

A la douçor du tens qui raverdoie
Chantent oisel et florissent verger.

Non necesse esse existimo quam frequens sit nostra quoque ætate idem ille usus multis exemplis illustrare.

Sed locus est apud nostrum qui majorem etiam mirationem faciat. Etenim, cum scripserit D. 1. 10. 1. *per omnia ad nutum illius potestatemque pendere*, inaudito quodam loquendi genere usus est. Nemo enim latinus scriptor verbum *pendere* cum præpositione *ad*, sed sive cum *ex* sive cum *ab* jungere voluit. Quæ dum apud Sulpicium lego, jam mihi videor Francogallum quendam loquentem audire [1].

Plures vero sunt sed minorem habent reprehensionem loci, in quibus recentiorum exemplo Sulpicius pro *in* præpositionem *ad* usurpavit regionum et locorum nominibus additam : M. 6. 4. *ad insulam cui Gallinaria nomen est, secessit;* ib. 18. 4. *postero die ad ecclesiam veniens;* ib. 20. 8 *si ad Italiam pergeret quo ire cupiebat.* E. 3. 9. *aliquamdiu ergo in vico illo vel in ecclesia, ad quam ierat, commoratus.* D. 1. 22. 5. *ad eremum, unde discesserat, mox regressus.* D. 1. 23. 5, *cum ad Africam veni.* D. III. 11. 4. *imperator decreverat, tribunos summa potestate amatos ad Hispanias mittere.* Hanc vero præpositionum confusionem sermonis vulgaris propriam esse contendentes viro doctissimo Hermanno Roensch assentimur [2]. Neque dissentiemur in illis Sulpicii locis, ubi *apud* nonnumquam pro *in* vel potius pro casu quem vocant *locativum* occurrit : II. 11. 1. *erat ea*

1. Haud aliter enim nostra lingua verba *pendre* ac *suspendre* cum præpositione *à* jungimus. Omissis recentioribus, quæ nota sunt nimis, exemplis liceat hæc mihi notare :
Pendre : Ch. de Rol. CCXC, *Va, les pend touz à l'arbre de mal fust.*
Th. le Mart. 65, *et les enfanchunetz pendre as meres as pis.*
Suspendre : Benoît II, 8840 :

Et pire assez, qu'en le sepent
A hautes forches mult sovent.

2. Cf. H. Roensch. *It. u. Vulg.* p. 390.

tempestate apud Babyloniam Neemias minister regius. D. II. 13. 8. *apud Nemausum episcoporum synodus habebatur;* II. 31. 6. *tum primum Marcus ex gentibus apud Hierosolymam episcopus fuit;* II. 36. 1. *apud Nicænam synodum diaconus adfuerat;* id. ib. 5. *jubet ex toto orbe apud Sardicam episcopos congregari;* ib. 41. 1. *apud Ariminum... synodum congregari jubet;* ib. 47. 1. *apud Cæsaraugustam synodus congregatur* [1].

Præpositio vero *de* nihil est mirum, si cum vocabulis *unus*, *aliquis* et cum numeralibus juncta occurrit. Ponitur enim vel ab optimis scriptoribus in genere constituendo [2]. Sed alienas ab eleganti scribendi genere fuisse existimo locutiones in quibus verba movendi velut *ejicere*, *exire*, etc., cum *de* præpositione struuntur. Neque enim similia apud Ciceronem nisi in orationibus inveniuntur [3], et sæpissime apud serioris ævi scriptores deprehenduntur. Denique notum satis est quam late præpositionis *de* usus in Romanicis linguis patuerit. Quas ob causas cotidiano sermoni hæc Sulpicii tribuerim : I. 25. 2. *huic angelus de campo messis domum revertenti adstitit.* I. 25. 3. *eos de terra Ægypti eduxerat;* id. ib. 4. *populum de captivitate eripe.* M. 6. 4. *de civitate exire compulsus* [4].

1. Cf. H. Roensch, *It.*, pag. 391. Cf. et Non. 522, *error consuetudinis apud pro in utitur. Itaque vitiose dicimus, cum nos* in *foro fuisse dicamus* apud *aut* ad *forum fuisse.*

2. Hæc tamen notavimus, M. 3, 2, *Interea de circumstantibus videre nonnulli.* M. 21. 3. *unum de tuis modo interfeci... neminem quidem deesse de monachis.* M. 23, 7. *unum de fratribus ad se vocat.* D, II. 2, 2. *una tantum de virginibus et unus de presbyteris tres tantum videre de monachis.*

3. Cf. Albr. Kœhlerum, *Auct. belli Afr. et Hisp. Latin.*, p. 437.

4. Cf. Roensch, *It. u. Vulg.*, p. 395.

Quemadmodum vero præpositione *extra* conficiuntur quædam formulæ, in quibus cum remotio et exclusio intellegatur, etiam *sine* et *præter* locum habere possunt : *extra culpam*, *extra periculum*, *extra jocum*, *extra modum*, *extra numerum*, *extra pretium*, *extra ordinem*, ita apud Sulpicium *extra solitum* invenimus de eo quod contra morem fit : II. 11. 3. *cum eum rex inter epulas mæstum extra solitum animadvertisset*... Neque locutionis illius alterum exstat exemplum.

Venimus ad præpositionem *in*, quæ, etsi plerumque non extra regulam posita est, tamen nonnumquam a nostro insolentius adhibetur, veluti : M. præf. 1. *regnum Dei non in eloquentia sed in fide constat*. Nec me fallit et apud Cæsarem et apud Cornelium Nepotem [1] verbum *constare* cum *in* junctum occurrere. Sed eandem constructionem, cum apud deteriores scriptores deprehendas, non inauditam fuisse plebeis hominibus contendi potest [2].

Nunc mihi afferre placuit exempla, in quibus, cum *in* nunc cum ablativo, nunc cum accusativo positum sit, manifestissime patet pro nihilo casus illis temporibus ductos esse.

1° *In* cum ablativo pro *in* cum accusativo : I. 29. 2. *in oppido Gabaa successerat*. I. 34. 8. *atque ita regis filiam in matrimonio*

1. Cf. Cæs., B. C. III, 89, fin., *Monuit ejus diei victoriam in earum cohortium virtute constare*. Nep., Att. 14 fin., *Omnis ejus pecuniæ reditus constabat in epiroticis et urbanis possessionibus*. Cæsari vero vereor ne quid minus elegans elegantissimo exciderit scriptori (Cf. Albr. Kœhlerum, *op. cit.*, p. 379).

2. Cf. Anthim. observ. cib. (scr. an. 475) ed., Rose præf., p. 7, *prima sanitas hominum in cibis congruis constat*... infr.. *in hoc enim prima sanitas constat*.

accepit (Sic. cod. Palatinus : at editio princeps *matrimonium* habet.)

II. 38. 2. *ac tota Asia in perfidia eorum conjuraverat* (conj. Vorstius *perfidiam*). M. 2. 4. *totus in Dei opere conversus.*

2° *In* cum accusativo pro *in* cum ablativo I. 34. 5. *gladium postea in templum posuit.*

Atque ex eo quod sæpius diximus de casuum apud plebeios homines immutatione quid colligi possit dilucide perspicitur. Quod si quid nobis dubitationis afferri possit, tollant et eximant innumera quæ collegit Hermannus Roensch exempla [1].

Denique notanda sunt ea in quibus *merito* præpositionis *propter* locum obtinet I. 12. 7. *cum tamen benedictionis merito majori minorem præposuisset*; ib. 23. 3. *merito fidei dux Hebræus noctem avertit.* II. 11. 1. *Artaxersi merito obsequiorum carissimus.* Quæ cum et apud historiæ Augustæ et apud ecclesiasticos quoque scriptores legantur plebeia esse dixerim [2].

1. Cf. Roensch, *It. u. Vul.* p. 406 et 410. Liceat autem mihi addere haud pauca quæ ex Commodiani operibus sumpsi :

1° *In* cum ablativo pro accusativo : Carmen apolog. 197, *induxerat in terra promissa; ib.*, 495, *ducti sunt in errore nefando; ib.*, 744, *mitteretur in igne projectus; ib.*, 837, *in sanguine vertere; ib.*, 907, *in urbe redire; ib.*, 920, *pergit in terra Judæa; ib.*, 1048, *in umbra abire*, etc. — Instructiones I. 16, 14, *pestes in ultima terra exportari deberent;* I. 17, 5, *res in vano processit;* I, 13, 7, *vertebat boves in antris;* I, 24, 11, *in synagoga decurris;* I. 28, 13, *venias in æstu;* I, 34, 16, *quam misit in terra;* I, 37, 4, *cæcus cæcum in fossa reducit;* II. 4, 6, *in una flamma convertit tota natura;* II, 29, 3, *in me solo volo odia convertere vestra;* II, 31, 14, *in gaza mittere;* II, 11, 2, *in parte recedit;* II, 13, 4, *in servili gente refugit;* II, 39, 21, *demergunt in inferno*, etc.

2° *In* cum accusativo pro ablativo : Carmen apolog. 187, *unum in Deum esse; ib.*, 443, *in infernum non derelinques; ib.*, 472, *erit in pacem; ib.*, 488, *tentemus hunc Deum videntes, quid sit in illum*, etc. — Instructiones I. 22, 8, *in legem quærite;* I, 29, 18, *Lugia sunt semper nec pœmoreris in illa;* II, 17, 1, *cum Dominus dicat in gemitum edere panem;* II, 20, 9, *in talem pendit Ecclesia tota, si vincat;* II, 25, 9, *bellum in absconsum geritur;* Cf. II, 2, 4 : *Acclamat ut et audiant omnes in urbem;* II, 3, 12, *inibi non pluvia non frigus in aurea castra.*

2. Cf. Roensch, *Ital. u. Vulg.*, p. 398.

Atque haud scio an idem sentiam de insolito *præter* usu pro *per* et *trans* præpositionibus, de quo dicendi genere tacent Lexica :

I. 9. 5. *cum præter regionem Edom... iter destinaret* ib. 15. 3 *cum... præter terram Phylistiim via duceret* ; ib. 21. 4. *cum præter Edom agmen ducere pararet ;* II. 48. 2 *iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit.*

Quod ad præpositionem *pro* attinet, nullum exemplum occurrit quod plebeiæ consuetudini jure assignare possim, excepto tamen hoc : M. 26. 4, *inter operandum pro quodam laboris levamine incudem suam feriunt*, in quo *pro* nostri *pour* locum obtinet. Optimi autem scriptores dixissent : *ut laborem levent...*

CAPUT II

DE MODIS

Ut modo vidimus casuum varietates in latino sermone subtiliores fuisse quam ut a plebeis hominibus intellegerentur, sic non mirum est ab eisdem modorum discrimina non semper fuisse servata. Jure igitur ac merito cotidiano sermoni adjudicabimus, si quid apud Severum occurrerit quod in hanc reprehensionem cadere videatur.

§ 1. — Indicativus pro subjunctivo.

Indicativum in interrogationibus obliquis ex sermone populari repetitum esse nemo est hodie qui non existimet [1]. Ille enim usus et apud comicos [2] et apud deteriores scriptores [3] frequentissimus est. Populariter ergo

1. Cf. Haasium ad Reisigium, p. 597 sqq. annot. 504.
2. Inter cetera ab Holtze (Syntaxis priscor. script. lat., p. 110) allata haec notanda censui : Plaut. Amph. prol. v. 50, *nunc quam ob rem oratum huc veni primum proloquar*. Curc. I. 3, 3, *viden ut anus tremula medicinam facit?* Bacch. I, 1, 45, *scio quid ago*. *Ib.*, II, 2, 24, *et ego pol scio quid metuo*. Most., III, 2. 145, *specta quam arte dormiunt*. Ter. Eun. 919, *vide ut otiosus it*. Ter. Phorm. 986. *impurum vide, quantum valet*. Ter. Phorm. 358, *vide avaritia quid facit*, etc.
3. Cf. H. Roensch, *Ital. u. Vul.*, p. 403 sq.

Severus locutus est : E. 3, 3, *rogo quemadmodum tam cito ad te epistola illa potuit pervenire;* D. 1, 2, 2, *libenter ex te audiemus si vel in eremo vivere Christianis licet;* D. II. 11, 3, *dic mihi, inquit, si unquam in bello fuisti, si in acie constitisti.* Atque attende vocabuli *si* usum, quod, quamvis græci εἰ locum obtinere videatur, tamen comicorum est [1].

Comicorum quoque exemplo Sulpicius *quippe qui* cum indicativo posuit [2] : E. 1, 10, *quippe qui nuda humo... cubare consueverat.*

§ 2. — Subjunctivus pro indicativo.

Ac primum qua ratione noster « dum » particulam cum subjunctivo struat dicendum est : II. 5, 7, *dum multa evolverem;* M. 8, 1, *dum agrum Lupicini cujusdam præteriret;* M. 12, 1, *dum iter ageret;* M. 14, 5, *dum profanam ædem usque ad fundamenta dirueret;* M. 15, 1, *dum templum itidem everteret;* M. 18, 3, *dum portam civitatis illius... introiret;* D. 1, 13, 8, *dum ille attigua ramis humilioribus poma decerperet;* D. 1, 18, 6, *dum tentaretur infirmus perfectus inventus est;* D. 1, 25, 6, *dum Turones præteriret;* D. III, 15, 1, *dum in illo suo... sedili ligneo resedisset.* Ex omnibus illis exemplis constat particulam *dum* in conjunctionis *cum* jura transgressam esse, usque adeo ut ipsa cum sub-

1. Cf. Plaut. Truc., 1, 2, *visam si domi erit;* Bacch., III, 5. 4: Cist., 1, 3, 37: Epid., IV, 1, 16; Men., I, 2, 33: Merc., 1, 2, 44: Mil., IV, 8, 52: Most., III, 2, 155; Pœn. Prol., v. 12; V. 2, 156. — Terent., Eun., III, 47 : *visam si domi est*; Heaut, 1, 1, 118 (Roensch, *Ital u. Vul.*, p. 404).

2. Cf. Holtze, *op. cit.*, II, p. 116 — Plaut. Amph. prol., v. 22, *quippe qui intellexerat;* Aul. II, 5, 22 : *quippe qui, ubi quid surripias, nil est.* Truc., 1, 1, 49, *quippe qui certo scio;* Ter., Heaut., III, 2, 27 : *Quippe qui magnarum sæpe id remedium ægritudinumst.*

junctivi temporibus construeretur. Quid? quod usus iste antiquioribus probari potest exemplis. Agmen enim ducunt Varro [1] et auctor ad Herennium [2] et auctor belli Hispaniensis [3]. Jam sequuntur post Cæsarem et Ciceronem, qui ab illo dicendi genere omnino abhorruerunt, Nepos [4], Livius nonnullis locis [5], Vergilius [6], Velleius, Valerius Maximus [7]. Mirum igitur est subsecutis scriptoribus hanc abusionem non placuisse, quippe cujus vix ulla non modo apud Tacitum, Suetonium, Florum sed ne apud Apuleium quidem aut ejus æquales appareant exempla. At frequenter ei indulgent posteriores ab ineunte seculo quarto scriptores [8]. Quæ cum ita sint, verisimile est consuetudinem *dum* particulam cum sub-

1. Cf. Sat. Men., p. 132, R. *dum messem hornam imponeret...*
2. Cf. Auct. ad Her., 49, 63, *qui istum splendide, dum peregrinaretur, invitarant.*
3. Cf. b. Hisp., 23, 2, *hic dum in opere nostri distenti essent.*
4. Cf. Nepot. 20, 1, 4, *dum res conficeretur, procul in præsidio fuit.*
5. Cf. Liv. 1, 40, 7, *dum — se rex totus averteret, alter elatam securim in caput dejecit.* Cf. 2. 47, 5: 4, 25, 9; 10, 18, 1: 39, 49, 8.
6. Cf. Verg., G., 4, 457, *illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps* (hydrum non vidit). — Æn., 10, 799, *socii — sequuntur, dum — abiret.*
7. Cf. Val. Max. 3, 3, 2, *dum legationis officio fungeretur, a rege Gentio interceptus.* — Cf. 9, 12, 7.
8. Cf. Capit. Gord., 31, 1. *dum hæc agerentur, Scytharum rex finitimorum regna vastabat.* — Lamp. Heliog., 25, 8; Alex., 13, 2. — Vict., Cæs., 39, 11. *Carinus... dum victos avide premeret, suorum ictu interiit*, adeoque cum subjunctivo plusqpf., 42, 16, *e quo* (pedestri magisterio) *dum altius... conscendisset* (Silvanus) *obtruncatus est.* Vict., *Epit.* 41, 2, *hic dum juvenculus a Galerio in urbe Roma obses teneretur, fugam arripiens... in Britanniam pervenit.* Cf. 29, 9; 41, 21, sq. — Cf. Amm. XXII, 9, 1, *dum teneret imperium solus, nec motibus internis est concitus, nec...*; *ib.*, 11, 9, *dum ædificandæ præesset ecclesiæ, cirros puerorum licentius detondebat, id quoque ad deorum cultum existimans pertinere. Ib.*, 3, 3; 9, 9; XXIV, 4, 21, etc. — Quam constructionem jam in usum receptam esse testantur innumera posteriorum scriptorum exempla : Latin. Pacat. Drepan., (sec. IV ex.) Panegyr. Theodos., 8, 5: Sulp. Sever. (vide supra); Sidon. Apoll., *ep.* IV, 11, s. f.; Victor Vitens., (s. f. sec. V), persec. Vandal. II, 14 et sæpe. Boeth. Cons. Philos. (525 p. C.) I, 1 : Fulgent. Myth. II, 9, etc., Gregor. Turon. (sec. VI ex.); hist. Francor., II, 8; IV, 3 et sæpissime. Cf. C. Paucker : Beitr. z. lat. Lexic. III n. 1 et Spicileg. n. 15.

junctivo struendi præcipue apud plebem valuisse. Adde quod notum est sæpe sine causa a plebeis hominibus subjunctivum poni [1], et constat pristinum ac sollemnem particulæ illius cum indicativo construendi usum a posterioribus etiam scriptoribus reservatum esse nonnunquam [2], quasi, quod ab ipsis peccatum esset, corrigere vellent. Sic noster : M. 9, 5 *dum exspectatur qui non aderat, unus e circumstantibus sumpto psalterio, quem primum versum invenit, arripuit.*

Quod si vero iis est assentiendum, qui putant « vulgarem sermonem subjunctivum in latiores extendisse fines quam urbanum [3] » existimo etiam conjunctionem *quamquam* cum subjunctivo positam plebeiæ esse consuetudinis. Nec nos, ut opinor, movere debet quod iste subjunctivi usus priscis latinis scriptoribus inauditus [4] post Augusti tempora invaluit. Nisi putamus enim vulgarem linguam fixam atque immotam inde a priscis temporibus usque fuisse, necesse est alia mutaverit et sustulerit, alia vero elegerit ac receperit. Solvitur autem quæstio, si attendas scriptores omnes, qui *quamquam* cum subjunctivo posuerint, non eos esse qui optimæ latinitatis speciem præ se ferant [5]. Plurima sunt vero apud

1. Vide ea quæ scripsit Albr. Kœhler (Auct. b. Afr. et Hisp. Latinitas) de subjunctivo in relativis enuntiatis, p. 422.
2. Etenim *dum* cum ind. præs. occurrit apud Lampr. Alex., 18, 4: Spart. Hadr. 14, 5: Sever., 2, 4: Capitol., Ant. Phil., 12, 13: Maximin, 9, 8: Max. Balb., 8, 2: Trebell. Gallien, 11, 1: Vopisc. Tac., 2, 1: cum ind. perf. Spart. Jul., 6, 3. — Indicativus et apud Ammianum comparet, ut XV, 5, 17, vel in oratione obliqua : *perfertur Mediolanum nuntius, aperte Sylvanum demonstrans dum ex magisterio peditum altius nititur, sollicitato exercitu ad Augustum culmen evocatum*. Cf. C. Paucker, *loc. cit.*
3. Cf. Albr. Kœhler, *op. cit.*, p. 422.
4. Cf. Holtze, *op. cit.*, II, p. 133, et Draeger, *op. cit.*, § 565.
5. Cf. enim ea quæ Draegerus affert l. l. Val. Max., 3, 2, 3. *quamquam*

Sulpicium exempla : I. 2, 1, *quamquam inter se parum consentiant;* ib., 24, 5, *quamquam hæc in typum ecclesiæ [forma] præmissa sit;* ib., 29, 9, *quamquam ab hac supputatione nostra ceteros discordare non nesciam;* I. 30, 3, *quamquam plerumque eos pater increpasse referatur;* II. 5, 6, *regnasse traditur annos VI et XX, quamquam id non in sacra historia scriptum invenerim;* E. 2, 7 *quamquam sciam virum illum non esse lugendum;* id., ib., 12, *sed quamquam ista non pertulerit;* D. 1, 4, 6, *quamquam ego studio manducandi etiam angelos manducare credam;* D. II. 5, 2, *Sed perge, quæso, quamquam nihil magnificentius audire possimus.*

§ 3. — De infinitivo.

Cum numquam apud optimos sæpissime vero apud priscos [1] et sequioris ævi scriptores [2], infinitivus *consilium* exprimat, imprimis post verba motum significantia aut post verbum *dare*, haud absurdum erit, si hoc di-

superiorem se crederet. — Curt. 9. 3, 2, *quamquam cuperet*, Tac., sæpissime, Plin. *ep.*, Suet., Jul. 3, *Lepidi societate, quamquam magnis condicionibus invitaretur, abstinuit*, 54. 69, 79. 81 · Tib., 16; Claud., 20 : Ner., 22. 34 · Galb., 14; Dom., 20 : Gramm., 10. 23. — Just., 2, 1, 5, *quamquam fuerit;* 2, 2. 7, *quamquam urantur :* 39, 4, 2, *quamquam recessisset;* Flor., 2, 2. 4; Gell., 17. 2, 21. — Apuleius sæpissime — Adde Commodian. Carm. Apolog., 875. *Quamquam sit martyribus aptum tot funera ferre.*

1. Cf. Cato. R. R. c. 89 *bis in die farciat et meridie bibere dato.* — Plaut. Pers. V. 2, 40, *bibere da usque plenis cantharis.* — Ter. Andr. III, 2, 4, *quod jussi ei dari bibere.* — etc. — Enn. an. 337 (Vahl. *duxit delectos bellum tolerare* Plaut., Trin. IV, 3, 8, *recurre petere*, etc. (Holtze, *op. cit.*, p. 31, sq.). Adde Varr., r, r. 2, 10, 1, *stabulari solent equos alere.*

2. Cf. Lact., 2, 9, 22 : 1, 18, 17 : 2, 1. 17 : 5, 20, 11. *datur scire.* Commod., Instr. 1, 31, 20, Carm. Apol. 156 : Aug., C. D. VII, 19, etc. — Hygin. fab. 17 *eum patris sepulcrum cruentum reuse; id., ib.*, 88. *ad flumen exit sanguinem abluere* Justin., 18, 77. — Aur. Vict. Cæs., 3, 18. — Dict. Cret., 4, 3 et 2, 20.

cendi genus Græcis quoque non inauditum plebi tribuendum esse censuerimus, unde a poetis repetitum videtur fuisse [1], et a Sulpicio : D. III, 17, 6, *Felicem Græciam... sed nequaquam a Christo Gallias derelictas, quibus donaverit habere Martinum;* D. II. 6, 6, *venit a finibus terræ audire Salomonem.* D. III. 10, 2, *Processimus cuncti... videre piscantem...* Haud aliter vero infinitivo linguæ Romanicæ utuntur. Addendum est vero *conspirare* verbum quod cum infinitivo junctum non nisi apud Suetonium [2] aut Sulpicium legitur : I., 23, 1 *in bellum conspirant Hebræos armis depellere;* II. 11, 5, *vicinæ urbes conspirant opera interrumpere;* ib., 37, 2, *conspirant penitus Sardicensis synodi decreta subvertere.*

Neque minus in iis quæ sequuntur exemplis, noster ab optimorum scriptorum consuetudine recedere videtur. Namque contra vulgatam a grammaticis regulam qua negant infinitivum sive cum verbis *compellendi*, et *imperandi*, sive cum verbis *postulandi*, *orandi*, etc., jungi posse, Severum recentiorum exemplo scriptorum eo inclinasse satis constat ut subjunctivi officium sæpissime ad infinitivum transferret. Omnia hæc verba nos ordine litterarum digessimus :

COMPELLERE : a) *Cum accusativo et infinitivo :*

II. 43 1. interea legatos.... compellit imperator uniri hæreticorum communioni.

M. 12. 5. ita eos et, cum voluit, stare compulit, et, cum libuit, abire permisit.

M. 23. 10. cumque invitum ire compellerent.

1. Cf. Draeger., *op. cit.*, § 433, 5.
2. Cf. Suet., Claud. 37, *Quem* (Ap. Silanum) *cum Messalina et Narcissus conspirarent perdere.*

D. I. 23. 7. mihi injuncta legatio est ut... ea te supplere compellerem.

b). *Verbi pass. pers. cum infinitivo juncti* exempla :
H. 42. 3. adesse compellitur...
M. 6. 4 de civitate exire compulsus...
H. 16. 6, a circumstantibus episcopis ire compulsus.

Hujus autem usus auctores præter Ovidium et Lucanum [1], habeo Curtium, Apuleium et Justinum [2].

Imperare : a) *Sequente infinit. pass.* :
H. 6. 2. sacra vasa... proferri imperavit.
M. 12. 3. imperat turbæ non moveri loco.
b) *Sequente inf. act.*
M. 12. 3. imperat turbæ non moveri loco onusque deponere.
M. 17. 5. de primum stare ei imperat.

Non alienus quidem est a Ciceronis usu infinitivus passivus cum verbo *imperare* junctus [3]; sequente vero verbi activi infinitivo, nusquam nisi apud Lucretium, Belli Africani auctorem, Curtium et Suetonium *imperare* legitur [4].

Præcipere : a) *Sequente accusativo cum inf. pass.* :
H. 7. 3. accusatores deputari leonibus præcepit...
I. 37. 2. jugulari eum præcepit...

1. Cf. Ovid., Fast, 3, 860, compulerunt regem jussa nefanda pati; Lucan., 3, 144, compulit audaci nimium desistere cœpto (sc. Cotta Metellum).

2. Exemplis a Draegero allatis (§ 417, 7) liceat hæc mihi addere : Tert., an. 53 ; — Veg. m. 1, 8, *hæc necessitas compulit ea me... dicere... quæ...*; Hier., in Malach. pr. *ne animarum de cælo ruinas suscipere compellamur.*

3. Cf. Cic. Verr., 5, 27; pro Sull., 15. — Att., 2, 4, 1; — Cæs. B. G. 5, 1; 5, 7; 8, 37. — B. C., 3, 42. (Draeger, § 441, 6, d.)

4. Cf. Lucret., 5, 671, *in certo dentes cadere imperat aetas tempore.* B. Afr. 66, *imperat legiones se octo veteranas sequi.* — Curt. 10. 1. 19 — Suet., Tib., 57, *scurram.... recipere* (imperat).

II. 1. 3. cum eos rex delicatioribus cibis curari præcepisset...

II. 5. 7. adorarique eam (statuam) ut sacram effigiem præcepit...

II. 13. 2. quem æquatum sibi adorari more regum præceperat...

D. II, 3. 5. agi quo ire cœperant jumenta præcipiunt.

b) *Sequente acc. c. inf. act.* :

I. 48. 2. Jonam prophetam ex Judæa ire præcepit ac denuntiare urbi excidium.

M. 5. 2. exorcistam eum esse præcepit.

M. 21. 3 sollicitos ire præcepit...

E. 3. 13. si adhuc in eodem labore pro castris tuis stare me præcipis.

D. I. 18. 3. si eum abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare.

D. II. 11. 1. quam Martinus in monasterio puellarum esse præceperat...

c). *Verbum pass. pers. c. inf.* :

I. 21. 7. aquam producere præceptus est.

Ex his omnibus videmus *præcipere* in jura verbi *jubere* transiisse, sed, exceptis duobus locis, in quibus a Cicerone adhibita est [1], constructio ista non ante Augusti tempora invaluit [2]. Quantum vero incrementum extremis linguæ temporibus eadem ceperit, documento sunt plurima quæ Severi exempla attulimus [3].

1. Cf. Cic. rep. 3. 12, *justitia præcipit parcere omnibus;* Att. 12, 31, *quibus parcere omnes præcipiunt.*

2. Cf. Dræger., *op. cit.*, § 417, 5.

3. Cf. etiam exempla quæ ex omnibus sequioris ævi scriptoribus sumi possunt; Spart., Hadr., 18 ex., *quæstionem haberi præcepit*, id., Jul., 5, 1; Sev , 11, 9; 22, 5; Carac., 2, 4; 6, 2. — Capit., Ant. Phil. 7, 8; 23, 4. — Lampr., Comm., 15, 6; Alex, 15 ex.; 36, 2; 39. 18; 59, 4; Treb., Gall., 18, 2; XXX tyr., 19. 2; Vop. Aur., 1, 7; *ib.*, Tac. 10, 4. — Arn., I, 46; II, 60, etc. — Lact., m. persec., 10. 4, *milites cogi ad sacrificia præcepit,* Firm., err. prof. rel., p. 34 Burs. *aperiri sibi januas præcepit,* ib., p. 40. — Tert., adv. Marc. V, 7, *Christus cum præcipit mulierem a viro non discedere.* — Spart., Sev. 8. 10, *quem provinciam sibi creditam regere præcepit,* ib. 15, 7, *redire mulierem in patriam*

Orare. D. 2. 1. 1, orans sibi vestimentum dari.

Poscere. I. 39. 2, sed ille non aliud sibi quam sapientiam dari poposcit.

I. 41. 1, cum laxari sibi stipendium poposcisset.

I. 43. 6, poposcit ad se omnem populum congregari.

Cf. Deposcere. II. 8. 6, tum illi confisi parato dolo sueta inferri et obsignari a rege templum deposcunt.

Postulare. II. 1. 6, reduci eam in judicium causamque denuo audiri postulat.

M. 16. 7, dari sibi oleum postulat.

D. 1. 20. 3, contingi se ab eo atque benedici humiliter postulantes.

Cf. Flagitare. I. 9. 6, benedici se ab eo flagitabat.

De solo *postulare* verbo ambigi potest, quod vel ab optimis scriptoribus cum infinitivo jungitur. Notandum est tamen idem potissimum apud comicos occurrere. De ceteris vero quid dicendum est ? Numquam enim apud bonos scriptores exstant [1].

Reliqua sunt ea, quibus non fuit inter superiora locus, qualia sunt :

præcepit. — Capit. Ant. P. 6, 1 : id. Ant. Ph., 11. 6; Lampr., Comm. 9, 5 : Alex., 48, 5 : Treb. Claud., 13. 8 : 16, 1. — Arnob., I. 45. *qui claudos curare præcipiebat.* I. 21, etc., — Lact., inst. II, 5, *qui flumina fluere præcepit.* — Vict . ep., 10. 7. — Amm., XV, 3, 9. *biennio id continuare præceptus est.* — XVIII, 10, 4 : XX, 4, 11 ; 9, 14 : XXVIII. 6, 22, XXIX, 2, 10 ; 3. 4, etc. — Hier , adv. Jovin. II. 17. — v. Paul., 3 ; v. Hilar. 22, Ep. 51. 9, etc.

1. Cf. Draeger. § 441. 6, a : *orare*, Tac. Ann., 11. 10, *permitti Meherdatem patrium ad fastigium orabant.* — Suet. Ner., 47, *vel Ægypti præfecturam concedi sibi oraret.* Adde vero : Amm., XXV, 2, 8, *orabant... profectionem differri.* — Cf. Draeger, § 441, 6, c, *poscere* : Hor., ad Pis. 330, *ne, quodcunque volet, poscat sibi fabula credi.* Sen. controv. 1, 8, *te etiam morari posco...* Justin., 42. 1, 2, *cum vel stipendium... vel alium hostem dari sibi poscerent.* — Lact., 6, 20, 13, *alios dari poscunt.* — *Ib.*, *flagitare* : Plin., H. N. 34. 62, *ut reponi apoxyomenon flagitaverit* ; 35, 65, *ut flagitaret ostendi picturam*; Suet., Claud., 15, *carnificem statim acciri flagitavit.* — Ner. 44, *a delatoribus revocanda præmia fl.* — Apul. met., 3, 6, *quem dum sibi porrigi flagitat....*

FACERE. I. 54.7, residuis quos belli condicio vel prædæ fastidium relinqui a victoribus fecerat.

D. 1. 4.3, deinde expositis in terra vervecum pellibus facit nos discumbere.

D. 1.3. 6, consistere autem ibi homines non alia ratio facit quam quod omnes a tributo liberi sunt.

PERMITTERE. M. 12. 5. ita eos et, cum voluit, stare compulit, et, cum libuit, abire permisit.

TIMERE. I. 34. 6. timens autem tam carum omnibus... necare.

E. 3. 14, nec mori timuerit nec vivere recusaverit.

D. 1. 4.6, nam istud dimidium hordeacium timeo vel solus attingere.

D. 1. 6. 2, quæ (fraus hæretica) in quibusdam locis non timuisset impetere evangelicam veritatem.

Multa equidem de verbo *facere* cum infinitivo loqui supervacaneum esse existimo [1]. *Permittere* quoque cum infinitivo nusquam nisi apud scriptores latinitatis optimæ parum diligentes constat occurrere. *Timere* vero quamvis Cicero ipse non dubitet cum infinitivo struere [2], tamen usus insolentior est quam ut urbano sermoni tribuendus sit. Verumtamen fateamur necesse est hoc verbum nonnumquam idem valere quod *dubitare*.

Consuetus cum infinitivo, quæ constructio inde a Pacuvio poetis in usu erat [3], cum apud belli Africani et belli Hispaniensis auctorem [4] exstet, plebi quoque placuisse demonstratur : Sulp. Sev. D. III. 10. 1, *piscem Paschæ diebus edere consuetus.*

1. Cf. Roensch, *It. u. Vulg.*, p. 366.

2. Cf. Cic. De or., 2, 334, *cum subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri*, et legg. 2, 22, 57, *quod haud scio an timens suo corpori posse accidere*, si Orellio credendum est.

3. Cf. Pacuv. ap. Cic. Tusc., 2, 21, *consuetus in armis ævom agere*, et Lucret. (Draeger, § 427).

4. Cf. B. Afr., 73, 2. — B. Hisp., 25, 2.

Neque aliter sentiendum de *nescius* (E. 3. 13 *cedere nescius senectuti*) existimo, quamvis usus poeticus sit [1].

Jam perspicuum esse credimus quot et quanta apud Sulpicium infinitivus ad se vindicaverit ac traxerit [2]; neque illud esse miraculo potest reputanti Severum fuisse gallicum scriptorem et attendenti quem locum infinitivo gallica nostra lingua dederit. Nunc vero restat ut anquiramus num parte alia eidem illi infinitivo quicquam detractum fuerit. Itaque, nisi fallor, e quibusdam signis cognovi Sulpicium providere ne accusativum cum infinitivo poneret. Quantum enim potuit, nominativum cum infinitivo usurpavit; quin eo progressus est ut *quod* et *quia* cum verbis *sentiendi* et *declarandi* jungeret.

Hæc igitur apud Sulpicium notavi exempla, in quibus verborum sentiendi vel declarandi forma passiva cum infinitivo struitur :

Annotor. I. 46. 5, sed in Paralipomenis atque etiam in Chronicis novem et viginti annos imperium tenuisse annotatus est.

Cernor. II. 5. 3, cum a spectantibus deambulantes in camino psalmum Deo dicere cernerentur.

Credor. II. 16. 4. cum secundum consuetudinem castris egredi crederetur.

II. 29. 1. credebaturque imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse.

II. 29. 6. unde creditur, etiam si se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus servatus.

1. Cf. Verg., G., 2. 467, *at secura quies et nescia fallere vita*. Ib., 4, 470, *nesciaque humanis precibus mansuescere corda*. — Hor., od. 1, 6, 6. *Pelidæ cedere nescius*. Ib., 4, 6, 18, *pueri fari nescii*. — Ovid., Pont., 2, 9, 45. *vinci nescius armis*.

2. Innumera omisi exempla, in quibus poetarum more, verbum *valet* cum infinitivo jungitur : Cf. M. pr. 6; M., 12, 4; M., 27, 3; D., 1, 18. 2; 1, 20, 6; 1. 22. 4; II, 1. 4, etc.

Feror. D. 1. 9, 7, ibi enim vaste patentes eremi solitudines plurimum ferebantur habere monachorum.

D. I. 12. 1, per XL annos ibi degere... ferebantur.

D. I. 13. 2 nam fere mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur.

D. I. 17. 3, inter ejus recessus anachoreta esse aliqui ferebatur.

D. I. 17. 4, uni tantummodo ferebatur se ante quinquiennium præbuisse.

D. I. 25. 6 (beatus Ambrosius episcopus) eo tempore consules et præfectos subinde pascere ferebatur.

Habeor. II. 40. 5, Nicæna synodus auctore illo confecta habebatur.

Negor. II. 44. 7, similis esse ceteris creaturis filius negabatur...

Perhibeor. E. 3. 11, lacrimasse perhibetur.

Probor. II. 36. 6, etiam nostrorum judicio hæreticus probatur (sc. esse).

Pronuntior. II. 44. 7 similis esse ceteris creaturis filius negabatur, creatura tamen, potior tantum ceteris pronuntiabatur.

II. 49. 8. indignus esse episcopatu pronuntiatus est.

Putor. II. 29. 2, neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur.

II. 51 8, quin et jurare per Priscillianum suum religio putabatur.

E. 1. 13, cum jam penitus esse consumptus tam diuturno incendio putaretur.

D. 1. 2. 5, tunc etiam amavi, cum putabatur inimicus...

D. I. 7. 3, Hieronymus... Originem secutus primo tempore putabatur.

D. I. 18. 5, qui putabatur arsurus velut frigido rore perfusus se ipse miratus est.....

Referor. I. 42. 1, quamvis in Chronicis triennio regnasse referatur...

I. 44. 1, cum tamen Nabuthæi mortem doluisse referatur...

I. 45. 3, hoc regnante Elias translatus refertur.

II. 5. 7, tot enim (anni) per sacram historiam a captivitate usque ad Cyrum fuisse referuntur.

II. 12. 1, cum Esther sub Artaxerse rege referatur...

REPERIOR. II. 12. 5, reperta est Esther ceteras specie vincere...

SCRIBOR. I. 46. 5, hic novem annos regnasse scribitur...

SIGNOR. II. 14. 3, nam duodecimo regis illius anno Judith fuisse signatur...

TRADOR. I. 37. 1, miro pietatis exemplo flevisse traditur.

I. 38. 1, hæc Uri cujusdam uxor, qui tum in castris erat fuisse traditur.

I. 38. 3, flebilis ea victoria fuisse regi traditur...

I. 44. 2, egisse pœnitentiam traditur... Cf. II. 2. 5.

II. 2. 6, regnasse traditur annos VI et XX.

II. 7. 6, Darius duodeviginti annos regnasse traditur.

Ut *dicor* et *trador* verba omittam, quæ constat sæpissime apud omnes scriptores reperiri, contendere ausim insolentiorem istum esse usum : unum enim Cassiodorum novi, qui de hoc dicendi genere cum Severo certare possit [1].

Quantum vero obsoleverit et evanuerit sollemnis accusativi cum verbis *sentiendi* et *declarandi* constructio, præcipue apparet ex pervulgato conjunctionum *quod* et *quia* usu cum verbo finito junctarum :

M. 16. 4, confido enim *quod* per te reddenda sit sanitati.

D. I. 22. 2, subiit eum cogitatio injecta per diabolum, *quod* rectius esset ut rediret ad patriam.

1. Crebriora sunt exempla quam ut cuncta afferri possint : hæc tamen nota : Cassiod. in ps. 108. 21. *cujus caro pro nobis cognoscebatur exstingui*; in 118, 169. *ad quem* (Creatorem) *omnis sensus confugiens noscitur esse perfectus*; in 125, 8. *eleemosynas maxime dignoscitur commonere*: in ps. 135. 4. *ubi verbo suo condiciones rerum fabricasse monstratur*; in ps. 34. 26. *ut. qui dare venerat salutem humano generi, ab insanis et perfidis probaretur occidi*. in 56. 13, *qui caput et dux ecclesiæ probatur intelligi*; in 125. s. f., *denique psalmus ipse jam non futuram prophetiam, sed ipsum fructum ventris ostendere comprobatur*. Liceat quoque ad comparationem adducere Cælium Aurelianum medicum : ac. II, 9, 44. *hi qui sub sole dormierunt vexari noscuntur*; ac. II, 9. 45. *lethargia... perniciosa esse passio perspicitur*; tard. I, 4. 71. *simile pati epilepticis et a matrice præfocatæ mulieres perspiciuntur*, etc. — Cf. C. Paucker Spicileg., p. 177. n. 37ª.

D. I. 25. 1 si revolvas *quod* anachoretis feritas bestiarum victa succubuit...

D. I. 12. 5, mementote *quia* non sine fœnore istum apud vos depono sermonem.

D. I. 27. 4, Ego autem credo, *quia*, etiamsi mutus esses, non defutura tibi verba.

D. II. 4. 6, scimus *quia* amicus Dei es...

D. II. 7. 4, videant... *quia* Martino semel tantum in vita... ipso viro pariter supplicante, regina servivit et ministravit edenti.

D. II. 8. 1, profiteor tibi *quia* hæc surdis auribus audientur.

D. III. 3. 8, credite mihi *quia* etiam alii in nomine ejus multa fecerunt.

D. III. 4. 7, crede *quia* non leviter apud me actum est.

D. III. 5. 3, profiteor *quia* nec illis sunt credituri.

Quæ consuetudo num priscis latinæ linguæ temporibus orta sit nostrum non est quærere [1]; at in omnium scripta, ineunte tertio p. C. seculo, irrepsit, ætatibusque progredientibus invaluit [2]. Notum est præterea linguas Romanicas accusativi cum infinitivo parum fuisse studiosas; nostram imprimis aliquid tantum in iis concessisse, quæ sint de latinis conversa [3], at, expulso plane accusativo, in conjunctione *quod* cum indicativo adhibenda acquievisse. Sed conjunctionem hanc non statim

1. Cf. Albr. Kœhler, *op. cit.*, p. 443.

2. Cf. Roensch, *It. u. Vulg.*, p. 402, qui ingentem exemplorum copiam proponit.

3. Cf. Diez, III. p. 229 : *il sofferat moi estre ocis*, i. e. me occidi esse permiserit ; *dissent soi avoir ferme spe.ance*, i. e. spem habere se dicerent : *certe chose est nos nient devoir*, i. e. nos certum est non debere ; *il avint gentz montez estre veuz*, i. e. contigit videri equites : *est bonne chose habitier les freres en un*.

Mitto equidem scriptores nostros qui XVI[e] seculo vel hoc latini sermonis imitando consectari voluerunt : Marot. II. 834 : *je la soutiendrai estre telle*. Rabelais. I. 18. *ils demandoient les cloches leur être rendues*. I. 20, *disant misere etre compagne de procez*. Montaigne. I. 3, *les actions que nostre coutume ordonne estre couvertes*, etc. (Diez, l. l.).

vel in Gallia prævaluisse testantur ea quæ tum a Sulpicio tum a Salviano ac Gregorio Turonensi sumi possunt [1]. Mox vero *quod* in omnium conjunctionum jura successit, usque adeo ut in lingua nostra rite ac legitime omnibus, quas vocant, secundariis enuntiationibus præponeretur, veluti jam apud nostrum : D. II. 14. 4, *quod autem hæc ab illo audivimus annus octavus est* [2].

§ 4. — De participio.

Substantivi loco participium semel a Sulpicio insolenter usurpatum est :

I. 18. 8, *sacrificans idolis pereat.*

1. Salvian., Gub. Dei IV, 124 sq., *pervulgatum hoc fere apud nobiles atque ignobiles sacramentum est : per Christum, quia hoc facio,... per Christum, quia nihil aliud dicturus sum.* . III, 73 ; VII. 257, etc. — Cf. Vincent. Lirin., p. 316 ed. Brem., *unde probatur, quia sacræ legis exemplis diabolus uti soleat.* — Greg. Tur. h. Fr., III, 14, *ut sciat, quia sum ego... renuntiate regi, quia rex sum sicut ille* ; VI. 5. *quod autem ais, quia ipse non generet, audi prophetam*, etc.

Pariter et *quoniam* usurpari constat, veluti Cl. Mam. an. I. 24. *vereque dicitur quoniam Deus dilectio est.* Greg. Tur. h. Fr. IX. 10. *novi quoniam, quæcumque petieris ab eo, obtinebis.*

Ipsa quoque conjunctio *ut* accusativi locum obtinet : Sulp. Sev. M. 24, 2. *addidit ut se Christum esse diceret.* D. I, 22. 2, *rectius esset ut rediret ad patriam*, II. 31. 6. *injustum esse pronuntians ut quisquam sine crimine reus constitueretur.*

2. Firmiora vero hæc sunt ad probandum : Edict. Const. et Licin., ap. Lact. m. pers. 48,7, *hoc insuper... statuendum esse censuimus, quod... eadem loca christianis sine pecunia... restituantur.* Sidon., ep. III. 3. *tum demum offensis exequialibus occupabantur, sic tamen, quod nec ossa tumultuarii cespitis tumulabant.* Ib., 13, *ita, quod, quas domorum nequiverit machinis apertæ simultatis impetere, cuniculis clandestinæ proditionis impugnat.* Salv. Gub. D. VII, 251. *Vandali, ita delicias corruptorum hominum adepti sunt, quod corruptelas morum repudiarunt.* Notanda quoque exempla ubi *quam*, omisso *post*, eadem vice qua *postquam* fungitur : I. 9, 4. *vigesimo primo fere anno quam advenerat.* I. 12. 6. *agitur Jacob septimo et decimo anno quam in Ægypto advenerat.*

Semel quoque noster recentiorum vitio indulsit, quo passiva significatione terminata in *ns* participia usurpaverunt : D. I. 1. 2, *compleri hominem amantissimum*. Sic nos verbo nostro *amant* utimur : ut modo eum, *qui amat*, modo eum, *qui amatur*, significemus [1].

Participia vero in *ndus* cadentia, cum proprie sint præsentis, mirum est quam facile posteriores latini scriptores ad futuri temporis significationem adduxerint. Exempla Sulpicii hoc loco composuimus :

I. 4. 4, se in unum dispergenda per totum orbem multitudo contraxit.

I. 6. 1... multiplicandumque semen ejus, sicut arenas maris stellasque cæli spopondit... posteros in hostili solo per quadringentos annos laturos servitium, post libertati restituendos.

I. 6. 5, edoctus perdendum oppidum.

I. 11. 5, unum eorum pœnas capite luiturum, alium absolvendum pronuntiavit.

I. 40. 2, denuntians fore, si quando peccassent ac Deum reliquissent, templum illud solo æquandum.

I. 43. 5, cum Elias verbis Dei polliceretur, nec hydriam farre nec vas oleo esse minuendum.

1. Innumera in promptu habeo exempla, quæ e C. Pauckeri Spicilegio (p. 187, n. 43) eruere potui : hæc tantum afferam : Fronto ep. ad Marc. Cæs. 1, 6, *magister optatissime, amice desiderantissime*. — II, 5, et V, 40. — Capitol. Albin., 7, 3, *fratri amantissimo et desiderantissimo*. *Ib.*, 7, 6. — Amm. Marc, XV, 8, 12, *amantissime mihi omnium frater*. — Genes., 22, 2, ap. Ambr., *accipe filium tuum amantissimum quem dilexisti*. — Amos, 5, 11, Vulg. — Is. 44, 9. Vulg. — Os. 9, 16. Vulg., Phil., 4, 1, vers. vet. — Lact., Inst. IV, 21, 4. — Hier.. ep. 121, 2. *hic est filius amantissimus in quo sibi complacuit anima Dei :* — in Jer. II ad 11, 15 sq, *dilectum et amantissimum vocat populum Juda*, etc. — Const. Theod. II de Theod. Cod. auct. 8. *Florenti, parens carissime et amantissime*. — Cassiod., in ps. 56 in. *labore finito in loco desiderantissimo conquiescis*, hist. trip. II, 12, *Deo amantissimi principis nostri*. — Facund. Defens. IV. 2, *dilectissime et amantissime*. — Venant Misc. III, 2, *pater amantissime*, etc. — Cf. H. Roensch, p. 456 sq. — Huc quoque referri potest *infirmans* participium adjectivi more adhibitum : M. 18, 4. super *infirmantibus* egere virtutes. *Infirmare* enim transitivum est verbum.

I. 48. 3, videbat Deum pœnitentia populi placandum...

I. 52. 2, quo (libro) continebatur Hebræam gentem ob crebras impietates et sacrilegia delendam.

II. 3. 5, Pedes vero partim ferrei, partim fictiles dividendum esse Romanum regnum, ita ut numquam inter se coeat, præfigurant.

II. 33. 3, etenim sacris vocibus decem plagis mundum afficiendum pronuntiatum est.

M. pr. 2, ea tibi fiducia libellum edidi, qua nulli a te prodendum reor.

M. 16. 4, confido enim quod per te reddenda sit sanitati.

M. 22. 4, et per misericordiam Domini absolvendos esse peccatis qui peccare desierint.

D. II. 14. 1, Neronem in occidentali plaga subactis decem regibus imperaturum, persecutionem ab eo eatenus exercendam, ut idola gentium coli cogat.

D. II. 14. 2, ab illo et urbem et templum esse reparandum.

D. II. 14. 3, ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum atque ita sub illius potestate universum orbem cunctasque gentes esse redigendas...

Hoc vero vitium eo facilius in linguam irrepserat, quod ipsis *Artium* scriptoribus, quorum nullus seculum quartum ætate præcurrit, non satis perspicuum erat quid participia ea valerent : futuro enim tempori ab omnibus assignantur [1].

1. Cf. Cominian. ap. Charis. II, 12, p. 180 K, *a passivo duo* (participia) *præteriti temporis et futuri, ut scriptus, scribendus.* — Donat. II, 14, *a passivo duo, præteriti temporis et futuri, ut lectus, legendus.* — Priscian. XI. 28, p. 567. *futuri unum activum in -rus desinens, ut criminaturus, et unum passivum in -dus, ut criminandus.* Addit tamen participia in -dus desinentia etiam pro nominibus poni, cum amittant tempus, ut amandus ὁ φιληθησόμενος et ὁ φιλητέος, etc.

De participiis in -ndus desinentibus disputavit C. Paucker., De latinitate scrr. hist. Aug. p. 85 sqq. et De latinitate beati Hieronymi, p. 149 sqq.

CAPUT III

QUA RATIONE ENUNTIATIONES INTER SE CONJUNGANTUR

Attendenti cuilibet qua ratione pueri aut homines minus eruditi in loquendo sententias annectant, apparet eos dissoluto, ut ita dicam, sermone uti neque sententiam alteram alteri subjungere. Non mirum igitur, si in sermone cotidiano duæ enuntiationes primariæ in oratione recta juxta ponuntur, ubi scriptores optimi alteram e priore per obliquam orationem solent suspendere. Maxime hoc usu venit in verbis *facio, credo, opinor, fateor, scio, cogito, spero, censeo, dico, video, certum est*[1]. Dissolute autem verba *credo* et *fateor* a Sulpicio posita sunt :

II. 10. 5, ceterum Esdram nihil super reficienda urbe egisse comperio, *credo* potiorem curam ratus plebem corruptis moribus reformare.

1. Cf. Holtze. *op. cit.*, II. 227-232. Draeger. § 368 sqq. — Plurima quoque a Petronio petere exempla mihi liceat : *credere*, c. 52. *credo dixerit* : c. 63. *oportet credatis, sunt mulieres plus sua* : c. 138. *forsitan resipiscerent partes veneficio, credo, sopitæ* : c. 46. *crede mihi, quicquid discis, tibi discis.* — Cf. c. 69. c. 129. c. 47. c. 52. c. 77. *Reri*, c. 122, v. 167 : *at reor haud impune* (sc. vetant). *Putare*, c. 65 (78. 10). 77 (91. 7). 86 (101. 14). 106 (128, 25) : *scire*, c. 38 (42. 7). 76 (90. 15) : *sperare*, c. 47 (54, 1). 57 (67. 9) : *fateri*. c. 91 (110. 17) : *videre*. c. 87 (102. 14) : *orare*. c. 45 (50. 8). 61 (72. 12) : *quæso*. c. 91 (110. 16). 128 (177. 9) ; *dicere*. c. 2 (4. 3). 128 (177. 11) ; *rogare*. c. 7 (10. 6). 39 (42. 19). 48 (56. 1). 55 (63. 6). 58 (68. 2). 86 (102, 2). 90 (109. 5). 95 (114. 20). 126 (173. 11). Segebade *Observat. gram. in Petron.* (diss. phil. Hal. IV. 2. 306).

D. I. 17. 4, qui, *credo*, potenti fide id obtinere promeruit.

D. I. 26. 8, Martino suo, *credo*, præstabit, ut non gravate illius facta commemoret...

D. III. 15. 1, *credo* cernebant miserum eminus propinquantem...

D. III. 15. 5, cum interea, *credo* per Martini orationes fugatis ab ilius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam...

M. 26. 2, interiorem vitam illius et conversationem cotidianam... nulla umquam, vere *profiteor*, nulla explicabit oratio.

Id., ib., 3, vere *fatebor*, non si ipse, ut aiunt, ab inferis Homerus emergeret, posset exponere.

Accedunt etiam alia apud nostrum verba :

E. 2. 10, ac si praecisis rupibus abruptisque montibus agere felicem furor impius maluisset, *perhibeo* confisus testimonium veritati, sponte cecidisset...

D. II. 4. 4, *fuerat causa nescio qua* Carnotum oppidum petebamus.

Notum est praeterea locutiones *velim nolim*, *velit nolit*, etc., παρενθέτως in sermone cotidiano inseri [1] :

D. 2. 1. 9, *velint nolint* cuncta produntur...

Deinde cum plebei homines in annectendis sententiis temporis potius quam causæ rationem respiciant, sequitur

1. Cf. *velim nolim*, Cic. N. D., 1, 17 ; Senec. Controv., 9. 3, 8. — *Velis nolis* : Senec. Phil. frgm., p. 430, § 59, Haase. — Martial., epig. 8. 44, 16. — Inc. paneg. in Maxim. et Constant I, (p. 158, 19 B). Querol. (Peip.). 26. 23. — Sidon., 9. 4 : 9, 7 ; 9. 11. — *velit nolit* : Cic., ad Q. fr., 3. 8. 4 : Senec. Apoloc., 1, 2 : dial., 7, 4. 4. — Petron., *c*. 71. — Min., Octav. 29. 4. — Salvian., gub. D. 599 *bis* ; ad eccles., 1, 26. Dionys. exig. de creat. hom. 23 s. f. — *velint nolint* : Senec., *ep*. 117. 4 : Arn., 1. 43 ; Lact., Inst., 5. 20 : Hier., *ep*. 57. 9 : *vellet nollet*, Senec., *ep*. 53. 3 : Fredegar. hist. Franc., 20, 76. Cf. *velim nolimve* : Val. Max., 3. 7. 3 : *velis ac nolis* : Tert., de an. 58 ; *velis nolisve* Aug., Civ. D., 6. 6. — Cf. E. Wölfflin. : *über die Aufgaben der lateinischen Lexikographie* (Rhein. Mus. XXXVII, p. 83 sq.).

ut rarius particulas, quas vocant conjunctivas, sæpius vero copulativas vel adversativas adhibeant. Nec desunt apud Sulpicium exempla :

I. 10. 1, promovit agmen in Salem Sicimorum oppidum, *atque ibi* loco pretio accepto tabernaculum statuit sibi...

I. 10. 3, mox a Deo monitus Bethel petiit, *ibique* altarium Deo statuit...

I. 35. 6, Saul nesciens in primo speluncæ aditu reficiendi corporis gratia successerat, *ibique* somno captus requiescebat.

I. 37. 1, Saul perempto David in terra Allophylorum. perlato ad se mortis ejus nuntio miro pietatis exemplo flevisse traditur. *Tum* Chebron Judææ oppidum petiit : *ibi* rursum regali unguento illitus rex appellatus est.

D. 2. 1. 1... paucos post dies euntem ad ecclesiam sequebamur. *Interim* ei seminudus hibernis mensibus pauper occurrit, orans sibi vestimentum dari. *Tum* ille arcessito archidiacono jussit algentem sine dilatione vestiri, *dein* secretarium ingressus...

D. 1, 2. 6, quod cum dixisset, paululum omnes conticuimus : *dein* cilicium, cui insederat ad me propius admovit *atque* ita exorsus est.

D. III. 9. 1, Columnam immensæ molis, cui idolum superstabat, parabat evertere, *sed* nulla erat facultas, qua id daretur effectui.

D. III. 9. 4, serpens flumen secans in ripam. in qua constiteramus, adnabat : in nomine, inquit, Domini jubeo te redire. *mox* se mala bestia ad verbum sancti retorsit et in ulteriorem ripam nobis inspectantibus transmeavit.

Huc quoque referri potest *vix* sine *cum* positum :

I. 38. 4, *vix* hoc bellum exstinctum videbatur, aliud rursum exortum.

M. 7. 3, *vixque* duarum fere horarum spatium intercesserat, videt defunctum paulatim membris omnibus commoveri...

D. I. 22. 4 *vix* e conspectu abscesserat. impletur a dæmone...

Restat ut de sententiis loquamur quæ, nulla addita conjunctione, aliæ aliis continuantur, et grammatici eas *asyndetas* vocant. In quibus describendis Nægelsbachium [1] secutus, sejungam ea, quæ revera asyndeta sint, ab eis quæ tantum videantur esse asyndeta. Neque enim verum asyndeton esse statuendum est, ubi duas sententias re ipsa, particula etiam omissa, connecti intellegas, et quid prior sententia significaverit ex altera dilucide possis cognoscere. Hoc autem asyndeton, quod *explicativum* verbo parum latino appellant, cum sæpissime apud Petronium in libertinorum dialogis inveniatur [2] et in Romanicis linguis maxime frequentetur, jam vulgaris latini sermonis proprium fuisse existimaverim.

D. III. 9. 4, nec defuit sensus in bucula quin se intellegeret liberatam : ante pedes sancti recepta quiete prosternitur.

D. III. 2. 1, quæ autem hesterno dicta sunt, non revolvam : illa qui non audierunt, ex scripturis cognoscent...

Tum particula omittitur, si duæ sententiæ inter se opponendæ sunt :

M. 10. 6 nemo quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur, etc.

Contra id verum esse asyndeton Nægelsbachius putat quo particula eo consilio detrahitur, ut res, quæ dissolutis sententiis narrantur, aliæ ex aliis celerius oriri

1. Cf. Nægelsbach. Lat. Stil., §§ 198-203.

2. Cf. Petron., c. 30, *non tam factura me movet, quam neglegentia nequissimi servi, vestimenta mea cubitoria perdidit.* — c. 38, *reliquos autem collibertos ejus cave contemnas. Valde succosi sunt...* c. 39, *quod autem in medio cæspitem videtis, nihil sine ratione facio. Terra mater est in medio quasi ovum corrotundata et omnia bona in se habet tamquam favus...*

videantur. Neque quisquam sæpius quam Cicero hoc dicendi artificio in narrandis rebus usus est. Secuti sunt rerum scriptores et ipse Sulpicius :

I. 37.5, bello deinde Allophylos domuit, Moabitas subjugavit, Syriam subegit stipendiumque ei imposuit...

II. 2. 3, quod ubi Danielo compertum, regis proximum appellat : enuntiationem somnii interpetationemque ejus pollicetur. Res ad regem defertur. Daniel arcessitur.

D. III. 7. 1, Pagum quendam Senonico annis singulis grando vexabat. Compulsi extremis malis incolæ a Martino auxilium poposcerunt ; missa per Auspicium præfectorium virum satis fida legatio, cujus agros specialiter gravior quam ceterorum assuerat procella populari...

D. III. 10. 2. sq., vade, inquit, mitte linum tuum, captura proveniet. Contiguum flumini... habebamus habitaculum. Processimus cuncti, utpote feriatis diebus, videre piscantem...

D. III. 15. 5, mox revertitur atque ad Martini se genua prosternit : veniam poscit, fatetur errorem nec sine dæmone se fuisse tandem senior confitetur. Non erat apud Martinum labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti...

Jam vero nonnulli sunt apud Severum loci in quibus asyndeton nulla certa ratione excusari possit. Itaque credo equidem illis temporibus magis atque magis invaluisse illam maxime Romanicarum linguarum propriam consuetudinem dissolute potius quam conjuncte dicendi : atque quo manifestius id appareat, e multis hæc Severi exempla afferam :

I. 2. 4, ex hoc Irad atque ex eo Maüiahel nascitur. Hic Mathusalem filium habuit isque Lamech genuit.

D. II. 8. 7, Claudiomagus vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum. Ecclesia ibi est celebris religione sanctorum nec minus gloriosa sacrarum virginum multitudine. Præteriens ergo Martinus in secretario ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius cunctæ in secretarium illud virgines ir-

ruerunt : allambunt singula loca, ubi aut sederat vir beatus aut steterat, stramentum etiam, in quo jacuerat, partiuntur. Una earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, energumeno quem spiritus erroris agitabat, de cervice suspendit. Nec mora, dicto citius ejecto dæmone persona curata est.

D. II. 10. 4, boves ex parte prata depaverant, porci etiam nonnulla suffoderant : pars cetera, quæ manebat illæsa, diversis floribus quasi picta vernabat. « Speciem, inquit, gerit pars illa conjugii... »

PARS IV

DE ELOCUTIONE

CAPUT I

DE SERMONIS ABUNDANTIA

Dicenti mihi in hoc capite de sermonis abundantia non id abundantiæ genus spectandum est quod scriptores vel elegantissimi captant, dum profluens quoddam et canorum sectantur. At longe alia est atque ab oratorio ornatu diversissima verborum luxuria quæ in plebeio sermone inest perspicuitatis, ut jam supra diximus, studiosissimo. Quamquam permulta huc spectant, de quibus jam disputavimus, velut de præpositionum usu, restant tamen digna memoratu plurima.

Itaque haud scio an plebeio sermoni tribuerim locutiones cum nomine substantivo *tempus* apud Sulpicium compositas : II. 16, 2, *a duce poscit liberum extra castra nocturno tempore egressum*. D. III. 11, 8, *ingressus nocturno tempore*. Namque notum est « temporis » vocabuli usum multo latius in vulgari quam in urbano sermone patuisse, cum verbi « dies » in linguis Romanicis

exstincti locum obtinuerint nomina olim cum substantivo « tempus » composita [1].

Atque haud aliter pro simplicibus adverbiis *cras* et *heri* verborum ambages admisisse Sulpicius mihi videtur qui scripserit : M. 4, 5, *crastina die ante aciem inermis adstabo;* etc. — E. 1, 1, *hesterna die... mentio incidit libelli mei*, etc. Sæpius vero *hesterno* posuit : D. III. 1, 5, *hesterno cognovimus.;* id., ib. 2, 1, *quæ autem hesterno dicta sunt, non revolvam;* id., ib., 5, 2, *nolo miremini me hodie facere quod hesterno non feci.* Atque, cum *hesterno* non *hesterna* adhibuerit, simul audiendum *tempore* esse censeo, quod ea confirmat quæ supra de vocabulo *tempus* diximus.

Denique hunc verborum ambitum notavi : D. II. 9, 6, *cujus* (leporis) *periculum vir beatus pia mente miseratus...*, quo ita recentiores usi sunt ut nostra in *ment* adverbia inde profecta sint et exstiterint.

Multo vero magis in ea re debet versari disputatio, quod Sulpicius sine causa pronomina cumulavit : quem usum cum plebeius omnium gentium sermo sibi summo studio vindicaverit, in latina potissimum lingua commemorandum esse viri docti propterea censuere quod in Romanicis linguis pronomina multo latius vim suam diffuderunt.

Severus autem nimiæ studuit redundantiæ pronominum his locis :

I. 13. 5, apud Jothor sacerdotem regionis illius diversatus filiam *ejus* Sepphoram in matrimonium accepit exque *ea* duos filios Gersan et Eliezer sustulit.

1. Velut frg. *jour*, ital. *giorno* ex « diurnum » scil. tempus. Cf. *hiver* (hibernum [tempus]) pro *hiems* cui propter brevitatem nullus in novis linguis locus fuit.

I. 27. 2, ita mulier enixa *puerum* Samson nomen *ei* indidit.

I. 27. 3, trecentis siquidem *vulpibus* captis, ardentes lampades *earum* illigavit caudis atque *eas* agris hostium immisit.

I. 36. 1, dictum *ei* ab *eo* est, postero *illum* die cum filiis victum ab Allophylis in prælio casurum...

I. 37. 4, divinum *ei* responsum redditum, semini *illius* id reservari...

I. 38. 7, itaque missus ad *eum* angelus trinam *ei* pœnam denuntiat...

I. 47. 1, postque *hunc* Zacharias filius *ejus* regnavit sed paulo infra igitur Amasiæ Ozias filius successit.

II. 17. 3, regnum amici *ejus*, qui simul cum *illo* maxima illa bella gesserant, partiti sunt...

II. 21. 4, deficientibus Judæis ab *eo* qui *ei* ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverunt.

M. 5. 4, cum *eum* ad remotiora duxisset, percontari ab *eo* cœpit, quisnam esset.

M. II. 5, jussitque ex *eo* loco altare, quod *ibi* fuerat, submoveri...

M. 17. 1, rogatus ergo Martinus ut *ei* manum imponeret, deduci *eum* ad se jubet.

M. 19. 3, Paulinus... cum oculum graviter dolere cœpisset et jam pupillam *ejus* crassior nubes superducta texisset oculum *ei* Martinus penicillo contigit pristinamque *ei* sanitatem sublato dolore restituit.

E. 1. 5, Illi autem subito casurum et repente moriturum *eum* putabant, sed cum viderent nihil mali contingere *ei*, convertentes se dicebant *eum* Deum esse.

D. 1. 12. 1, *in hoc monasterio* duos ego senes vidi qui jam per XL annos *ibi* degere... ferebantur.

D. 1. 14. 1, de *hoc* illud ferebatur, quod *ei* lupa solita esset adstare cenanti, nec facile umquam bestia falleretur, quin *illi* ad legitimam horam refectionis occurreret et tamdiu pro foribus exspectaret, donec *ille* panem, qui cenulæ superfuisset, offerret.

D. 1. 17. 4, *hic* quoties *eum* religiosi viri adire voluerunt... occursum vitabat humanum.

D. 1. 20. 2, *hic* ergo mirum in modum frequentabatur a populis ex toto ad *eum* orbe venientibus...

D. II. 13. 3 ac tum *eum* iste Sulpicius sicut apud *eum* nemo familiarius loquebatur, cœpit orare.

Illa vero quam indiligenter scripta sint facillime apparet, atque constat nullum umquam scriptorem optimæ latinitatis studiosum pronominum redundantiæ ita studuisse [1].

Huc quoque spectat pronomen *is* in sententiis inter se conjungendis adhibitum : I. 45, 2, *successit autem Joram ei frater ejus : isque duodecim annis imperium potitus est*. I. 24, 4, *huic Semigar successit : isque adversus Allophylos congressus*. I. 27, 2. *ita mulier enixa puerum Samson nomen ei indidit. Is intonso capite miræ virtutis fuisse traditur*. Quam dicendi rationem cotidiani fuisse sermonis comprobatur exemplis quæ possunt et ex Terentii comœdiis et ex M. Tullii epistolis afferri [2].

Hoc vero δεικτικῶς dicitur : D. III. 1, 1, *Lucescit hoc, Galle : surgendum est*. Neutrum enim *hoc* sæpe indefinite a plebe ponitur cum impersonalibus conjunctum [3], plane ut nos dicimus : *il fait jour*.

Jam in linguis Romanicis vocabulum *ille*, exstinctis *is* et *hic*, non modo ad vim articuli redactum sed etiam ad tertiam personam significandam reservatum esse satis notum est ; itaque in sermone latino vulgari pronomen *ille* eodem usu prævaluisse credendum est, quod nescio an his exemplis probari possit :

1. Cf. B. Afr., 87, 3, EORUM *castra* III *equites adorti expugnare cœperunt, ideo quod* EOS *Cæsaris partibus favisse sciebant, ut* EIS *interfectis* EORUM *pernicie dolorem suam ulciscerentur*. — Bell. Hisp., 1, 4, *cum aliquis ex ea civitate optime meritus civis esset, aliqua* EI *inferebatur causa ut* EO *de medio sublato ex* EJUS *pecunia latronum largitio fieret*. (Albr. Kœhler, l. l., p. 415.)

2. Cf. Ter. Andr., 221, *fuit olim hinc quidem senex Mercator : navem is fregit apud Andrum insulam*. Cic. Att., 2, 1, 1, *mihi... venit obviam tuus puer : is mihi litteras abs te reddidit*.

3. Cf. Plaut., Amph. 1, 3, 45, *lucescit hoc jam*... Ter. Heaut., III. 1, 1, *luciscit hoc jam*...

I. 9. 7... ut ex Jacob Israel diceretur : sed cum *ille* vicissim a Deo nomen Dei quæreret...

I. 28. 1, uxorem ejus quam *ille* postea acceperat pecunia corripiunt... *Illa* cum blandimento muliebri aggressa. . crinem ejus abstulit...

D. I. 15. 4, facile poterat intellegi id eam velle, ut quo *illa* ducebat, anachoreta sequeretur...

D. I. 15. 5 ad speluncam bestiæ pervenitur, ubi *illa* adultos jam quinque catulos male feta nutriebat.

D. II. 7. 4, verumtamen quia occasione hujus exempli male usuros esse aliquos arbitraris, *illi* vero felices erunt, si a disciplina exempli istius non recedant...

D. II. 12. 1, ... ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam *ille* officii causa visitare vellet, admiserit...

D. III. 7. 3, quod ne fortuitum esse et non potius Martino præstitum putaretur, eo anno, quo *ille* defecit rursum incubuit rediviva tempestas.

Namque in omnibus, quæ attulimus, exemplis, pronomen *ille* eodem munere quo nostrum *il* fungitur.

Plebis maxime esse constat apud omnes gentes quibusdam verbis uti quæ quid plane ad sententiam valeant non percipi potest, at videntur esse necessaria ac maxime ad verborum ordinem concludendum accommodata. Sæpissime igitur apud Sulpicium verbum *cœpisse* occurrit, et ita additur infinitivo, ut non ineuntem actionem significet, sed idem fere quod apud Græcos *aoristus*, exprimat :

I. 42. 7, at in parte tribus Judæ Asab mortuo Josaphat filius ejus regnare *cœpit*.

I. 46. 3, donec Dei misericordia depulsis hostibus pristinum habere statum *cœperunt*.

II. 13. 7, cum jam post epulas multis poculis convivium calere *cœpisset*.

II. 27. 1, hunc *primum* Judæi externum regem *cœperunt* habere...

II. 29. 4, dum hæc Romæ geruntur, Judæi, præsidis sui Festi Flori injurias non ferentes rebellare *cœperunt*...
M. 5. 4, qui cum eum ad remotiora duxisset percontari ab eo *cœpit*, quisnam esset..
E. 3. 9 viribus corporis *cœpit* repente destitui...
D. III. 2. 3, paterfamilias quidam duodecennem filiam ab utero mutam Martino *cœpit* offerre, poscens ut linguam ligatam meritis suis sanctis vir beatus solveret...
D. II. 13. 3, ac tum eum iste Sulpicius... *cœpit* orare...
D. II. 14. 6, dubitare *cœpimus* utrum Gallum adhuc esset melius audire, an exoptatissimo nobis viro.... occurrere...

Cum apud Terentium [1] sæpius, apud Ciceronem in prioribus tantum orationibus hanc abundantiam deprehendamus, Petronius [2] vero illud verbum usque ad satietatem apposuerit, non usum elegantioris atque urbanioris sermonis esse crediderim.

Ad eandem sermonis abundantiam referre ausim ea, in quibus verba *dare* et *habere* cum accusativo juncta simplicis verbi notionem efficiunt :

I. 7. 4, contacto domini femine sacramentum dedit...
D. I. 13. 3, frequens enim irrigatio aquarun tantam pinguedinem arenis dabat.
D. 1. 14. 7. habet sensum indultæ sibi veniæ.
D. III. 5. 4, vel tenuem sensum religionis habere.

Atque vide qua ratione Sulpicius verbum *ire* adhibuerit his locis :

II. 4. 2, at hi, qui extra noxiam fuerant, *ultum ire* facinus cupientes propere adversum Ismael arma capiunt...
II. 4. 3, igitur populum universum metus pervaserat, ne paucorum scelus omnium exitio rex Babylonius *ultum iret*.

1. Terentius (Phorm., 75, 78, 82) servum induxit ita loquentem : *cœpi advorsari primo... cœpi eis omnia facere... hanc amare cœpit perdite...*
2. Cf. Petr., 8, 9, 11, 12, 14, 15, 19, 22, 26, 27, 29, 30, 33, 34, etc.

Sed magis digna memoratu est, quamvis uno tantum loco apud nostrum occurrat, conjugatio illa quæ barbare dicitur *periphrastica*, participio præsentis et verbo *esse* formata : E. 2, 1, *eram residens solus in cellula*... Cum prima exempla præbeant comici [1], Vitruvius vero urbani sermonis parum cautus in eodem dicendi genere ita acquiescat, ut omnes locos, qui huc faciant, afferre nequeam [2], de vulgari latino sermone cogitare ego non dubito [3].

Jam vero particulæ quoque apud nostrum abundant. Ac primum, ubi duæ res vel personæ inter se comparandæ sunt, adverbiis *tamquam*, *ut*, *velut* utitur :

I. 48. 4. (Jonas) *tamquam* piaculum tempestatis in profundum projectus est.

M. 5. 2, quam ille ordinationem, ne despexisse *tamquam humiliorem* videretur, non repudiavit...

E. 3. 17, testatique nobis sunt... vidisse se vultum ejus *tamquam* vultum angeli... Membra autem ejus candida *tamquam* nix videbantur.

M. 24. 2, in quo etiam adeo illusit, ut eum quidam episcopus Rufus nomine *ut* Deum adoraret.

I. 2. 2, in nostram *velut* exules terram ejecti sunt...

1. Velut Plaut., Poen. 5, 2, 78, *ut sit sciens*; Truc. 1, 2, 29, *solens sum*. — Ter. Andr., 508, 775, sæp., *ut sis sciens*; deinde Cat., r. r. præf. *minime... male cogitantes sunt*...

2. Cf. Kœhler, *op. cit.*, p. 449. — Vitr., 1, 1, 11, *cum tanta hæc disciplina sit condecorata et abundans eruditionibus*... 2, 2, 5, *Phryges, qui campestribus locis sunt habitantes*. 5, 4. 5. *sonitus... e quibus VIII sunt ex tribus generibus perpetui et stantes, reliqui... sunt vagantes; stantes autem sunt, qui... suis finibus sunt permanentes*. — Cf. 5, 7. 8: 7, 1. 7: 7, 2, 7: 7. 3. 4: 7. 11. 2: 8, 1, 1: 8. 1, 7; 8, 2. 7: 8, 3, 15; 8. 7. 10: 9, 4, 11: 9. 4. 16: 9, 6. 1; 9. 7. 1: 9. 7. 2: 10. 22. 1.

3. Nonnulla sunt præterea abundantiæ exempla, minus quidem vitiosa, sed, ne quicquam prætereatur, afferenda. M. 13. 9, Christi nomen in *commune* ab *omnibus* prædicari... D. II, 4, 9. *cunctos* imposita *universis* manu catechumenos fecit. I, 12, 3, *rursum* igitur *revertentes*... D. II, 12, 11. siquidem hoc beatum virum *frequenter* affectu etiam angeli *frequentarint*...

II. 37. 6, ut Athanasium ecclesia submoverent, qui semper eis *velut* murus obstiterat.

M. 12. 3, videres miseros primum *velut* saxa riguisse.

Hæc autem non abhorrent a Petroni usu [1], qui quantum sermoni plebeio indulserit, nemo ignorat.

Tum etiam duæ particulæ a Severo conjunguntur, quæ idem vel fere idem significant :

I. 7. 4. *siquidem cum* (pro *cum*) quadragesimum annum ætatis ageret...

I. 25. 3, non esse in se Deum ingemescebat, *siquidem quod* populum captivitas premeret.

II. 3. 5 *Siquidem cum* non ab uno imperatore, sed etiam a pluribus semperque inter se armis aut studiis dissentientibus res Romana administretur.

Sed hoc etiam apud comicos [2] et apud Petronium [3], haud raro invenitur.

1. Cf. Petron., c. 39, *orbis vertitur tamquam mola* ; c. 43, *crevit tamquam favus*; c. 43, *niger tamquam corvus*; c. 57, *stupes tamquam hircus in ervilia*; c. 58, *satagis tamquam mus in matella*; c. 62 *stabam tamquam mortuus*; c. 71, *ut sic me amet tamquam mortuum*; c. 72, *calet tamquam furnus*; c. 74, *inflat se tamquam rana* .

2. Cf. Lorenz. ad Plaut. Most., v. 1023.

3. Cf. Petron., c. 51 *quia enim* : c. 50 et 63. *quia scilicet* : c. 15, e conjectura Buecheleri : *quod ...scilicet*. — Cf. et Apuleium met. V, 375, 28, *interim dum Psyche... populos circumibat, at ille* (sc. Cupido) *in ipso thalamo matris jacens ingemebat, tunc avis... demergit sese ad Oceani profundum gremium*. — D. S. prol. 105 *quasi velut in maceria lapides temerario interjectu poni necesse est*. (Koziol. *der Stil des L. Apuleius*, p. 145.)

CAPUT II

DE QUORUMDAM VOCABULORUM USU INSOLENTIORE

Jam a doctissimis viris qui de latino vulgari sermone disputaverunt comprobatum est apud plebem Romanam comparationis formarum vim infractam esse atque in earum vicem interdum successisse quædam adverbia, veluti *bene*, *multum*, *sane*, *vehementer*, quæ cum absoluto adjectivo conjungerentur [1]. Testis ipse Sulpicius adesse potest :

M. 23. 10, *bene* conscius illudi illum diaboli arte non posse.
I. 50. 1, huic Ezechias filius successit, *multum* paterni dissimilis ingenii.
I. 51. 4, is a patre *multum* degenerans [2]....

Addendum est adverbium *longe* quod, cum posterioris ævi poetæ etiam adjectivis simplicibus adderent, receperunt quoque recentissimi scriptores [3] :

1. Cf. Wölfflin, *Philol.* XXXIV, p. 140.
2. Nonnumquam sibi indulsit Sulpicius in adverbio *multum* usurpando quamvis apud optimos scriptores non frequens sit usus : pro *sæpe* et *diu* positum videtur : I, 9, 4, *multum obtestatus generum* ; I, 33, 4, *multumque a Samuele increpitus* ; II, 7, 2, *multumque abnuente Dario* ; D, I, 10, 4, *utrque utrumque congessit multum objurgatos*.
3. Cf. Apul. D. S. p. 52, 4. — Met. I, p. 112, 1. 6, p. 176, 15.

D. I. 15. 3, licet *longe* diversa regione...

Neque vero comprobari potest ille usus ratione omnino destitutus. Item *ultra* cotidiano dicendi generi tribuendum esse censeo his locis :

II. 16. 8, fuit autem *ultra* omnes cruentus...
II. 30. 6, ædem sacratam *ultra* omnia mortalia illustrem non oportere deleri.

Huc quoque spectant formationes præpositione *per* factæ quas in cotidiano sermone adamatas fuisse certum est. Namque in Ciceronis epistolis potissimum inveniuntur. Vide igitur ea quæ sunt Sulpicii :

PERIMBECILLUS. II. 17. 3, cui (Arridæo) perimbecillo verbo datum imperium videbatur [1].
PERINVISUS. I. 32. 3, regium nomen cunctis fere liberis gentibus perinvisum [2].
PERMODICUS. D. III. 10. 4, in rete permodico [3].
PERTENUIS. E. 1. 10, multumque ignem scabro jam et pertenui pavimento subdiderunt [4].

Quod ad adjectiva attinet, notum est in linguis Romanicis *alter* adjectivum in vicem *alius* verbi successisse (it. *altro*, frg. *autre*), quod in vitium semel noster lapsus est : D. 1. 16. 1, *erat etiam alterius anachoretæ in illis regionibus nomen illustre*, nisi forte *alter* hoc loco idem valet quod apud nos *second*. Abusione vero in-

1. Cf. Varr. r. r. 3, 10, 5. — Cic. Att. 10, 18, 1.
2. Cf. Cic., or. pr. Cornel. orat. 1 fr. 29, Kays.
3. Cf. Suet. — Ulp. — Capit. — Aur.. Vict., epit. 24, 5 (Georges).
4. Cf. Cato fr. ap. Plin. 18, 34: Cic.. Capit. (Georges). Alia sunt Ciceronis *perincommode*, Cic., Att. 1, 17; liv. 37. 41; *periniquus*. Cic.. fam. 12. 18, 1. 02. pr. leg. Man., 22: *perinvitus*, Cic. Fam., 7, 33, fin.: Liv.. 40. 57, 3.

versa, in posterioris latinitatis monumentis magis atque magis *alius* pro *alter* frequentatur :

I. 39. 4, cumque una earum judicio acquievisset, *alia* vero cedere potius puero quam discerpi eum mallet...

I. 11. 5, erant in eadem custodia ministri regii duo ; qui cum somnia sua ad Joseph retulissent, futura ex somnio conjectans unum eorum pœnas capite luiturum, *alium* absolvendum pronuntiavit [1].

Eandem vero verborum confusionem ab urbano sermone alienissimam in pronominibus adhibendis deprehendere licet. Nescientes enim quid valeat *is*, quid *hic*, quid *ille*, quid *iste* sequioris ævi scriptores nullum jam discrimen servant. Sic, plane eadem ratione qua *immensus* pro *magnus* et similia dicunt, *hic* pronomen, quod est significantius, in *is* locum asciscunt : I. 7. 6, *his autem quos ex concubinis susceperat dona distribuit* [2], atque « *iste* » vocabulum ita torquent ut ad omnem usum aptent :

I. 4. 1, præceptumque accepit, ne sanguine vesceretur aut sanguinem hominis effunderet, quia mundi primordia mandati *istius* liber Caïn maculaverat.

I. 14. 2, statimque ad eum *istius* modi fere verbis Deus locutus est.

I. 48. 2-3, Deus... Jonam prophetam ex Judæa ire præcepit ac denuntiare urbi excidium... verum propheta prædicationis *istius* ministerium detrectans.

D. I. 24. 2, *iste* (Martinus sc. de quo Sulpicius loquitur) in medio cœtu... inexpugnabili virtute fundatus stetit.

D. I, 25, 3. cum *isto* angeli cotidie loquebantur.

1. Cf. Hier., in Eccl. 4, col. 419 (Vall.), *melior est his duobus, vivente videlicet et defuncto, qui necdum natus est : alius enim adhuc mala patitur, alius, quasi de naufragio, nudus evasit...*

2. Cf. Hier. reg. Pachom. 35 *ministri absque his quæ in commune fratribus præparata sunt nihil aliud comedant.* — *Ib.*, 38. — Adv. Jovin., I, 10. — c. Pelag. II, 20 ; III, 4 et 12, etc.

D. I. 26. 5 nam cum Dominus ipse testatus sit *istiusmodi* opera, quæ Martinus implevit.

D. II. 6. 3, diebus ac notibus de ore Martini regina pendebat... Martinus... *istius* assiduitatem... non poterat evadere...

D. II. 6. 7, illa expetiit audire sapientem, *ista* non tantum audisse contenta meruit servire sapienti.

D. II. 7. 2, ecce *ista* regina non solum adstitit, sed etiam ministravit.

D. II. 13. 1, hoc te — me autem intuebatur — teste perhibeo. Quodam die ego et *iste* Sulpicius pro foribus illius excubantes [1]...

Quid dicam de pronomine *ille* quod latius etiam patet? Etenim, ut jam supra diximus pronomina *is* et *hic* omnino in linguis Romanicis interiisse, sic non absurdum est eo jam inclinavisse plebeium sermonem ut verbo *ille* potissimum uteretur :

M. 11. 4, sibi nihil cum martyribus esse commune, cum *illos* gloria, se pœna retineret.

M. 13. 4, facilemque arboris suæ habuere jacturam, si inimicum sacrorum suorum casu *illius* obruissent.

D. I. 23. 8, age ergo quia non *illa* a te audire desidero quæ scripta sufficiunt.

D. I. 26. 1, *Martinum* semper excipiam : non *illi* ego audeo monachorum, certe non episcoporum quempiam comparare.

D. I. 26. 3, soli *illum* clerici, soli nesciunt sacerdotes, nec immerito nosse *illum* invidi noluerunt, quia si virtutes *illius* nossent, sua vitia cognovissent...

D. II. 5. 1. 2, eremitas omnes anachoretasque vicisti. Nemo enim *illorum*, sicut Martinus hic vester... mortibus imperavit.

1. Cf. Front., ad M. Cæs., ep. 1, 3. *quod ob meritum sic me amas? quid iste Fronto tantum boni fecit, ut...* — Apul., Met. VI, 22. *licet tu istud pectus meum convulneraris* : Tert., pœn., 6. *in illo verecundia, in isto petulantia apparet*, etc. : Arn., I, 27. *nihil, si consideres, aliud invenies in ista (i. e. nostra) religione versari.* — Cf. Spart., Car. 9. *Mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc* (Caracallam) *Romam venisse dicantur... nise forte iste addidit celebritati, non primus invexit.* Cf. C. Paucker (De lat. beat. Hier. p. 82).

D. II. 5. 5. etenim ad animum illius (sc. Valentiniani) immitem ac superbum uxor accesserat Arriana, quæ totum *illum* a sancto viro... averterat.

D. II. 9. 3, (vacca) quæ mox ad verbum illius (sc. Martini) stare cœpit immobilis, cum interea vidit Martinus dorso *illius* (vaccæ) dæmonem supersedentem.

D. II. 10. 5, ita et *illi*, qui conjugia fornicationi comparant vehementer errant, et *illi* qui conjugia virginitati æquanda æstimant, miseri penitus et stulti sunt.

D. II. 12. 2, cum præter agellum *illius* (i. e virginis de qua paulo supra a Sulpicio mentio facta est) audita fide *illius* atque virtute devertit.

Immo, etsi *ille* qui vere articulus dici possit in lingua latina non ante sextum p. Chr. seculum reperitur, in sermone tamen vulgari plura sunt exempla in quibus jam ad articuli significationem descendere videatur, qualia sunt apud nostrum :

II. 13. 6 Aman *ille* regi carus et Judææ genti infestus.
D. I. 10. 2, casu per *illos* dies quibus illo adveneram [1].

Notum est pronomen reflexivum in oratione obliqua ad subjectum primariæ sententiæ referri, si secundaria sententia e subjecto pendet. Sed reflexivi vice pronomen *is* apud nostrum interdum fungitur.

I. 16. 6, tum per Moysen populus admonetur, panem hunc *eis* munere missum Dei.

1. Comparari possunt ea quæ apud Cassium Felicem (an. p. Ch. 447) medicum occurrunt (Cass. Fel. ed. Valent., Rose Teubner, 1879), 18, p. 25, *collectiones Græci apostemata vocant. Nascuntur in toto corpore. Et illæ magis quæ proxime cuti fuerint natæ, facile et visu et tactu cognoscendæ.* — *Ib.*, 17, p. 23, l. 6, *maxime illis fieri solent qui ab ægritudinibus frigidam potionem præsumpserint.* — *Ib.*, 32, p. 63, l. 16, *et etiam qui dentes [illegible], maxime illi vel molares qui quattuor [illegible] fixi esse noscuntur.* — *Ib.*, 57, p. 146, l. 3, *et maxime illi lavacrorum amatores, quos Græci philolutras vocant.* — *Ib.*, 60, p. 149, l. 3, *et illos maxime qui nimia corporis ariditate laboraverint, plus solio immorari quam in aere jubebis et sanabis.*

I. 32. 4, igitur frequentes Samuelem circumsistunt, ut, quia jam ipse senuisset, regem *eis* constitueret.

I. 41. 5, veritus Jeroboam ne ab *eo* plebem religio averteret statuit animos ejus superstitione occupare.

II. 29. 1, neque ulla re Nero efficiebat quin ab *eo* jussum incendium putaretur.

D. I. 25. 6, memini Vincentium præfectum... a Martino sæpius poposcisse ut *ei* convivium in suo monasterio daret.

D. II. 4. 8, ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter postulantes ut *eos* faceret Christianos.

Nec me fallit nonnullos esse qui credant nihil in eis vitii inesse, quoniam apud optimos scriptores et apud ipsum Cæsarem non ita raro illam pronominum commutationem deprehendant [1]. Sed cum e Ciceronis orationibus [2] unum mihi tantum hujus licentiæ exemplum notum sit, potius Reblingio [3] assentior docenti istiusmodi usum ad sermonem plebeium esse revocandum.

Denique non est urbanæ consuetudinis adjectivum *unus* pro *quidam* ponere, veluti M. 21. 3, *neminem quidem deesse de monachis, sed unum rusticum mercede conductum, ut vehiculo ligna deferret, isse ad silvam nuntiant*. Haud aliter nos adjectivo *unus* utimur : *j'ai vu un paysan*.

Plurima quoque e vulgari sermone recepit Sulpicius in adverbiis et conjunctionibus adhibendis. Namque, cum factum sit post Augusti tempora ut *adhuc* pro *etiam* vel *insuper, præterea*, πρὸς τούτοις poneretur [4], cujus locutionis

1. Cf. Albr. Koehler. *op. cit.*, p. 415.

2. Verr. 1. 86, *Milesios navem poposcit, quæ eum præsidii causa Myndum prosequeretur*.

3. Cf. Rebling., *op. cit.*, p. 22.

4. Cf. Senec., Quæst. N. 4, 8, *unam rem adhuc adjiciam*. — Plin., H. N. 33, 2. 10, *sunt adhuc aliquæ non omittendæ in auro differentiæ*. — Quint.. 9, 4, 34. *minus peccabit, qui longis breves subjiciet et adhuc qui præponet longæ brevem*... Val. Flacc. 8, 429, *finge rates alias et*

fons cotidianus sermo videtur fuisse [1], noster contra usum antiquioribus probatum scripsit : D. II. 4. 6, *dubitare cœpimus utrum Gallum adhuc esset melius audire.*

Deinde cum *ecce* a Cicerone et aliis scriptoribus non ponatur nisi de rebus vel repente vel ex improviso apparentibus, vel etiam de re post alias incidente [2], particula a Severo ita adhibetur, ut, propria significatione abolita, ad connectendas tantum sententias apta esse videatur :

D. II. 7. 2, *ecce* ista regina non solum adstitit, sed etiam ministravit.

M. 23. 5, *ecce* hac nocte vestem mihi candidam Dominus de cælo dabit...

E. 2. 16, *ecce* nunc consolatum esse te cupio, qui me solari ipse non possum [3].

Veteres non ponunt *forsitan* præcedentibus conjunctionibus *si*, *nisi*, *ne*. Sulpicius tamen ita locutus est :

I. 54. 2, *si* quid spei *forsitan* superesset.

II. 45. 3, *si forsitan* redire ad exilium juberetur.

M. pr. 1, *si* aures eorum vitiosus *forsitan* sermo perculerit.

II. 34. 3, *ne* errore mortalium *forsitan* pro cruce Domini latronis patibulum consecrarent.

D. II. 12. 11, *ne* in aliquorum *forsitan* incurrat offensam (sc. oratio).

adhuc majora coire Aquinum. — Tac. Ab. exc. D. Aug., 1, 17, *ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras.* Flor. 1, 13, 17, *ad iniqua pondera addito adhuc gladio.*

1. Cf. Plaut., Truc., 5, 18, *addam minam adhuc istic postea...*

2. Cf. Hand. Tursell., II, p. 349.

3. Cf. Apul., met., I, 31, 6; 52, 17; 53, 17; 54, 18; II, 80, 4; 100, 11; 104, 13; 131, 24; 135, 26; VI, 485, 25; VII, 676, 9; 701, 17; 748, 32; X, 963, 12; 979, 35; XI, 1018, 8; 1053, 16; 1074, 23; 1083, 26. (Koziol. *Der Stil des L. Apuleius*, p. 316.)

Severus autem se defendere potuit exemplis beati Hieronymi [1]. Neque vero minus offendunt ea in quibus post conjunctiones *si*, *nisi*, *ne*, adverbium *fortasse* usurpatur : M. pr. 5, *et si quid ex his studiis olim fortasse libassem...* Etenim cum recte dicatur *ut fortasse*, *cum fortasse*, nullus apud optimos scriptores locus est locutionibus *ne fortasse*, *si fortasse*. Sed comicis legem nondum fuisse constitutam Plautus est testis [2]. Cotidiano quoque sermoni tribuerim adverbii *forte* usum hoc loco : D. II. 13. 4, *incredibiliora forte dicturus sum.* Namque optimi scriptores non *forte* nisi conjunctionibus meram condicionem significantibus adjungunt : quæ sunt *si*, *nisi*, *sin*. Recentiores vero *forte* ubicumque pro *fortasse* usurpare solent [3].

Quid vero illa sunt collata cum iis quæ noster in particula *cur* adhibenda admisit? Recentiorum enim more causam cujusvis generis ita designavit :

I. 35. 5, ea tempestate Saul Abimelech sacerdotem interemit *cur* David recepisset.

I. 38. 6, veniam a Deo petens, *cur* in id animos extulisset ut regni sui potentiam ex suorum potius multitudine quam ex favore divino æstimaret.

1. Hier., 51, 2. *suspicatus autem sum ne forsitan inter multa quasi homo oblitus essem.* — Ep. 129, 1, *et ne forsitan legentibus Judæis ambiguum derelinquat...*; adv. Vigil., 13, *confiteor timorem meum ne forsitan de timore descendat.* — In Ezech. V ad 17, 19 sqq., *si forsitan ob aliquod peccatum de domo Dei ejicimur.*

Cf. tamen Charisium 2, 13. p. 165, *forsan et forsitan poetis relinquemus* (Neue. II², 674).

2. Cf. tamen Plaut.. Pers. 2, 2, 67, *quid istic scriptum? — Juxta tecum, si tu nescis, nescio: nisi fortasse blanda verba.*

3. Cf. Gaj. Instit. 1, 150, *quo casu licet uxori vel in omnes res. vel in unam forte aut duas (optare).* — *Id.*, *ib.*, 4. 74, *et potest quisque tertia forte aut quarta vel etiam minore parte peculi negotiari* — Gaj. Dig. 10, 1, 15, §. 2, *alii nulli rem obligatam esse quam forte Lucio Titio...*

« I. 44. 6, a propheta increpitus, *cur* abusus divino munere hosti sibi tradito pepercisset... » defendi fortasse potest ratione aliqua vel excusari, sed vide infra : « spreto Michæa propheta et in vincula conjecto, *cur* ei exitiabilem fore pugnam denuntiasset. »

II. 2. 2, rex motus *cur* falsa divinandi professione homines erroribus illuderent.

II. 15. 8, ad hæc Holofernes... ira accensus *cur* ex peccato potissimum Judæorum pendere illius victoria putaretur, propelli Achior in castra Hebræorum jubet.

M. 23. 4. ille ei iram Domini et presentes plagas, *cur* sancto non crederet, comminari.

D. 1, 10. 4, objurgatos *cur* ipsi quod per eos Dominus operatus fuerat prodidissent.

D. II. 4. 5, sæpius ingemiscens. *cur* tanta Dominum salvatorem turba nesciret.

D. II. 5. 8 frendens *cur* fuisset admissus.

Finge vero pro *cur* particulam *quare* adhibitam esse : apparebit verbum *cur* in nostra lingua non dissimili ratione exstare.

Denique, etsi in comparationem linguas Romanicas non possum adducere, duæ sunt conjunctiones, *sicut* et *siquidem* quæ ita a Sulpicio ponuntur, ut cotidiano sermoni tribui possint.

Ac primum *sicut* eadem fere significatione qua *cum* vel *quia* occurrit :

D. 1. 4. 4, tum ille *sicut* est verecundissimus...

D. II. 11. 6 Martinus autem conversus ad nos, *sicut* eum frequens fratrum turba vallaverat.

D. II. 13. 3, ac tum cum iste Sulpicius, *sicut* apud eum nemo familiarius loquebatur.

Neminem enim fallit locutionem *sicut est* millies in Ciceronis orationibus inveniri posse; *sicut* vero cum alio

verbo conjunctum non nisi post Augusti tempora in usu esse.

De conjunctione vero *siquidem* nescio quo pacto grammatici vix pauca tradant. Ostendere debuerunt vocabulum ipsi Ciceroni [1] non inauditum ita apud posteriores invaluisse et increbruisse ut ubicumque particulæ *enim* locum obtineret. Sic apud nostrum nunc cum subjunctivo nunc cum indicativo modo conjuncta particula *siquidem* legitur :

I. 21. 3, familiari sibi experimento, *siquidem* id jam ante fecisset, semel atque iterum petram percussit.

I. 39. 4, puerum illi adjudicavit, non sine circumstantium admiratione, *siquidem* latentem veritatem prudentia protulisset.

II. 28. 1, *siquidem* opinione multorum receptus sit...

E. 3. 19, *siquidem* fides flere prohiberet...

D. 1. 12. 1, *siquidem* id de eorum virtutibus... audierim... celebrari.

D. 1. 23. 4, exultantes librarios vidi quod nihil ab his quæstuosius haberetur, *siquidem* nihil illo promptius, nihil carius venderetur.

D. II. 4. 3, *siquidem* ante episcopatum duos mortuos vitæ restituerit.

D. II. 6. 6, *siquidem* simplicem sequamur historiam.

D. II. 12. 11, *siquidem* hoc beatum virum frequenter affectu etiam angeli frequentarint.

I. 46. 4, *siquidem* Idumæorum fines victor ingressus idola gentis ejus assumpserat.

II. 3. 2, caput aureum Chaldæorum imperium est, *siquidem* id primum et opulentissimum fuisse accepimus.

II. 3. 4, atque impletum videmus, *siquidem* Alexander ereptum Persis imperium Macedoniæ vindicavit.

D. I. 3. 6 extrema *siquidem* Cyrenorum ora est. Cf. D. III. 11. 10.

1. Cf. Cic., Brut., 10.

Quid? quod *siquidem*, nullo verbo adhibito, vere in jura particulæ *enim* transgressum esse dici potest, his locis :

I. 27. 3, trecentis *siquidem* vulpibus captis.
II. 33. 4, tum *siquidem* Hierosolyma horrens ruinis frequentissimis ac magnificentissimis ecclesiis adornata.
II. 35. 4, CCC *siquidem* et duodeviginti episcopis congregatis.

Luculentissime a viro doctissimo C. Paucker de novo particulæ *siquidem* usu disputatum est in opusculo cui titulus inscribitur *Subrelictorum Lexicographiæ Latinæ Scrutarium* (Revaliæ, 1879)[1].

Atque cum idem ille vir diligentissimus ostenderit in eadem disputatione quam perverse recentiores conjunctionem disjunctivam *vel* abhiberent[2], mihi visum est ex Sulpicii ipsius operibus quærere quæ in eandem reprehensionem possent incurrere. Hæc igitur inveni :

Vel... vel pro *et... et* : I. 45. 4, ab eo viduæ filius resuscitatus, *vel* Syrus lepra purgatus, *vel* famis tempore omnium

1. E rarissmo illo opusculo hæc eruere mihi visum est : *Siquidem cum præs. ind.* Capit. Ver. 2 *...siquidem multos disertos et eruditos semper secum habuisse dicitur.* — Cf. L. Diad., 4, 2. Treb. Gall., 14, 10; XXX, 22, 8. — Paneg., IX, 1, 2. *Cum indic. imp* : Capit. Max. Balb., 6, 5, *a populo timori habitus, siquidem sciebat populus ejus censoriam præfecturam.* — Lampr. Hel., 13, 2. — Treb., XXX, 3, 6; 26, 1. — *Cum indic. perf.* Treb. Gall., 19, 6, *siquidem placuit XXX tyrannos uno volumine includere.* Cf. Treb. Cl., 1; XXX, 30, 1, 3. — Capit. Ant. P., 11, 1; Gord., 18, 3. Max. Balb., 4, 3; Lampr. Al., 12, 3; Diad., 2, 2; Vulc. Au. Cass., 11, 1; Vop., Prob., 20, 2; Paneg., V, 15, 1. — *Cum indic. p. q. p.* Vulc. Cass., 4, 2. Lampr. Hel., 17, 4. — *Cum subjunc. præs.* Capit. Gord., 21, 4, *siquidem ea debeant in historia poni:* Cf. M. Aur. ap. Vulc., 5, 6. — Lampr. Hel., 17. — Veg. m., III, 5, *multa sunt discenda atque observanda pugnantibus, siquidem nulla sit negligentiæ venia ubi de salute certatur. Ib.* II, pr. ; II, 22 ex. — Cæl. Aur. tard. II, 14, 199, etc. — *Cum subj. imp.* Cap., Gord. 23. — Veg. m. II. 20. — *Cum subj. perf.* Treb. Claud., 3. — Lampr. Al., 12, 5, — *Cum subj. p. q. p.* Galer. ed. ap. Lact. m. pers., 34, 2. Lact., Inst., IV, 14, 17.
2. Cf. C. Paucker, l. l.

rerum copia fugatis hostibus invecta, *vel* in usum trium exercituum aquæ præbitæ, *vel* de exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum et ipsi sufficiens vivendi substantia data.

I. 53. 4, et sacra ornamenta *vel* publica *vel* privata.

M. 1. 7 igitur, sancti Martini vitam scribere exordiar ut se *vel* ante episcopatum *vel* in episcopatu gesserit.

M. 7. 5, primumque apud nos Martini virtutum *vel* materia *vel* testimonium fuit.

Nec... vel pro *nec... nec* : D. II. 8. 2, ita nos in hac parte numquam nec Martini exemplo *vel* tuis disputationibus corrigemur.

Item Carolus Halm ex codice Veronensi restituere debuit :

D. 1. 5. 5 (p. 157, l. 16), nihil eos *neque* emere *vel* vendere (Veron).

D. 1. 5. 5 (p. 157, l. 18), *neque* habent *aut* habere cupiunt (Veron).

Etsi nonnulla apud optimos scriptores exstant exempla [1], tamen nemo nescit recentiorum scriptorum potissimum abusionem esse [2].

1. Cf. Cic. de Or., 2, 1. 3, *quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset.* Liv., 1, 1, 8, *animum vel bello vel paci paratum.* 1, 42. 5, *ordinem... vel paci decorum vel bello.*

2. Cf. Draeger. § 344, 2. Adde Spart. Carac., 7 ex : *Quamvis Græci vel Ægyptii eo genere quo feminam hominem etiam Lunam deum dicant.* Capit.. Alb. 12, 13, *apparet quanta severitate factionem vel Pescennianam vel Clodianam vindicaverit* (Severus). Treb. Gall., 5, 5, *et pestilentia tanta exstiterat vel Romæ vel in Achaicis urbibus.* Vop., Saturn. 10 in : *cum eum animarent vel ad vitam vel ad imperium.* Cap., Ant. Ph., 17, 6. — Cf. Eutrop., VIII, 14. Cap., Gord., 6, 5; 14, 7; Pert., 2, 8; Ver., 5. 2. — Ampel.. lib. memor. præf. : *ut noris... quid orbis terrarum ferat, vel quid genus humanum peregerit.* Lact., m. pers., 8, 3, *cum ipsam teneret Italiam, subjacerentque opulentissimæ provinciæ vel Africa vel Hispania.* Vict., Cæs. 30, 1, *Salvii nomen atque ejus scripta factave aboleri jussit.* It. Alex. 37, Sidon , *ep.* IV, 20.

CONCLUSIO

Repetenti vero omnia quæ in hac disputatione digessimus, apparet Sulpicium non ita raro vulgari latino sermoni indulgere. Namque, ut pauca neglegamus quæ de declinatione ac conjugatione sunt dicta, constat a nostro quædam nova vocabula ita adhiberi, ut a sollemni dicendi usu omnino abhorreant, plura autem, quamvis sint vetera, ab urbana significatione recedere; jam casus immutari et præpositiones nominum casibus subrogari nihil certioris jam significantibus, quæ omnia in Romanicas linguas profluxerunt. Quid dicam de modis? cum quid sit inter indicativum et subjunctivum nonnumquam Severus nesciat, et sæpissime in infinitivi cum accusativo modi locum *quod* conjunctio successerit. Neque obliviscendum plurima esse in sententiis inter se annectendis quæ nobis testimonio fuerint illis temporibus magis atque magis invaluisse illam maxime Romanicarum linguarum propriam consuetudinem dissolute potius quam conjuncte dicendi. Denique non pauca fuerunt in elocutione quæ plebis propria magis viderentur.

Illa tantum de vulgari apud Sulpicium sermone commemorare nobis visum est ne, si prolixior esset disputatio, temeritatis crimen objici posset. Neque enim in hujusmodi argumentis interest quam multa sed quam significantia afferantur exempla.

I. — INDEX RERUM

PARS IV

De elocutione.

II. — INDEX VERBORUM AC LOCUTIONUM

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV Kal. mai. ann. MDCCCLXXXIII.
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi,
Decanus,
A. Himly.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
Gréard.

Coulommiers. — Typog. Paul BRODARD et Cie.



